DE OFFICIO PII, ET CHRISTIANAE PACIS VERE AMANTIS VIRI, EXURGENTE, ...

Jean Hessels

Digitized by Google

Miscellanea ... 3
3
129

DE OFFICIO PII, ET CHRISTIANÆ PACIS VERE AMANTIS VIRI, EXVRGENTE, AVT VIGENTE HAERESI:

Cum refutatione ſententiæ cuiuſdam falsò hoc ipſum docere promittentis:

AVTHORE IOANNE HESSELS A LOVANIO, *ſacræ Theologiæ in Academia Louanienſi profeſſore Regio.*

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXVI.
CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

MATTH. 18.

Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

2. TIMOTH. 2.

Prophana & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.

ATHANASIVS IN SYMBOLO.

Niſi quis Catholicam fidem, integram inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.

HIERONYMVS IN EPISTOLA AD CTESIPHONTEM.

Semper habui ſtudio, audientibus loqui, quod publicè in Eccleſia didiceram.

Digitized by Google

3-131

D. CAROLO PHILIPPO DE CROY, DOMINO DE HAVRECH, GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO ADOLESCENTI.

GRatias ago Domino
Ieſu Chriſto, nobi-
liſſime domine, cùm
ex quotidiana tua
in noſtra Academia
cõuerſatione perſpicio, veræ pietatis
myſteriis à teneris te rectè imbutũ:
confidẽs quòd is qui cœpit in te opus Philip. 1.
bonum, perficiet vſq; in diẽ Chriſti
Ieſu. iuxta illud Salomonis: Pro- Prouerb. 22
uerbium eſt, Adoleſcẽs iuxta viam
ſuam, etiam cùm ſenuerit non rece-
det ab ea. & illud Jeremiæ: Bonum Thren. 3.

Digitized by Google

eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Nihilominus, ante extremum diem, quãdiu in corpore mortis huius manemus, nullã eſſe ſecuritatem nobis, ſemperq́ nos excidere poſſe à vitæ pietate, docent exempla clarorum regũ Saul, Salomonis, & Ioas: docet & Apoſtolus dicens, Qui ſtat, videat ne cadat. Ideoq́ pijſsimum ſemper eſt ad perſeuerantiam cohortari, & pro ea aſsiduè dominum ſuppliciter deprecari. Licet autem ad hanc plures tibi monitores affuturos non dubitem, cogitaui tamen mecum, nihil offuturum, ſi & ego illuſtriſsimam tuam dominationem ad hanc rem hortatus fuero, hoc libello nomini tuo dicato, tanquam quodam mei

.Cor.10.

erga

Digitized by Google

erga te amoris & obſeruationis ſymbolo: præcipuè quia iudicaui nomine tuo aliquos ad hoc prouocari poſſe, vt libellum hunc legere dignẽtur, eoq́; lecto, operante Dei ſpiritu, in pietate veræ fidei confirmari, aut ad eam vocari. Quod ſi certè vel in vno mihi contigerit, ſtipendium ſatis magnum obtinuero laboris mei, opuſculo huic (dũ à publicis lectionibus & diſputationibus ſcholæ noſtræ, dolore vnius pedis ſecludor, & lecto affigor) impenſi. Confutatur autem libello hoc illorum ſententia, qui putant, quòd & catholica Eccleſia, & quæ hodie, ſi Deo placet, dicitur euangelica, ſit vera Chriſti Eccleſia, quia vtraque fidei ſummam tenet, quæ eſt in Apoſtolico

Sententia ſequenti libr[o] confutata.

ſymbolo, & ex ſaniore parte amat Eccleſiam Chriſti, nec condemnat aut hoſtiliter inſectatur alios à ſe diſſentientes, hoc eſt, omnes eos eſſe Eccleſiæ Chriſti membra, qui ſimpliciter recipientes Apoſtolicũ ſymbolum, in eo acquieſcunt, etiam ſi decreta Caluini aut Lutheri recipiant, & Caluiniſticam vel Lutheranam Eccleſiam frequẽtent, ibiq́; Sacramentis Chriſti communicent, modò tamen alterius partis cui ſua opinione aduerſantur, & in qua nõ agunt, ſententiã, ſiue ea, vt loquuntur, Papiſtica ſit, ſeu Caluiniſtica aut Lutherana, non damnent hæreſeos, nec hoſtiliter inſectentur: omnes verò ac ſolos illos, qui hoſtili animo perſequuntur Papiſticam, Luthe-

Lutheranam aut Caluinianã ſententiam, eſſe extra Eccleſiã Chriſti.

Qua tam noua & hactenus inaudita ſententia, nihil aliud agitur, quàm vt fides veraq́ intelligentia ſymboli Apoſtolici, & ſacræ ſcripturæ negligatur, obſcuretur, imò penitus extinguatur, omnesq́ rectè credentes, zelo fidei in aduerſarios fidei non moueantur, ſed omnibus, etiam rectam fidem tenere nolentibus, ſalutis æternæ ſpes promittatur. &, vt paucis totum dicamus, noua quædam & hactenus ignota Eccleſia, non Chriſti, ſed ſchiſmatica, & reliquis hæreticorũ Eccleſiis magis noxia, ex parte Mahumetiſmo ſimilis erigatur. Ex hac enim ſtatim prima facie, totius Abſurda ſ[…] tentiæ co[…] futandæ.

veteris Eccleſiæ ſententiã deſtruas: vtpote ex qua apertiſsimè inferas, negantes ſpiritum ſanctum ex filio procedere, negantes gratiam Chriſti ad bene operãdum neceſſariam, negantes peccatum originale, negantes Adam peccati merito mortuum, negantes ab hæreticis dari baptiſmum, negantes paruulos baptizandos, negantes corpus domini eſſe in Euchariſtia, negantes neceſſitatem baptiſmi, negantes homines iuſtificari bonis operibus, eaq́ue digna eſſe vita æterna, negantes Deum metuendum vt iuſtum iudicem, negantes Chriſtum vnicuique iuxta ſua opera redditurum, docẽtes omnem illum eſſe iuſtum & habiturum vitam æternam qui ſibi hoc

ipſum

Digitized by Google

ipſum perſuaſerit, docentes in Ec-cleſia non eſſe poteſtatem abſoluendi eos qui poſt baptiſmum in Chriſti negationẽ lapſi ſunt, etiam ſi pœnitentiam agant, docentes illicitas eſſe ſecundas nuptias, aut licere coruſcante Euangelio vni viro habere ſimul plures vxores, multosq́; ſimiles hæreticos, poſſe ſaluari. Hi enim omnes recipiũt ſymbolum Apoſtolicum, et ita amare poſſunt Eccleſiam, vt Euangelici amare ſe fingunt. Conſequitur præterea ex eadem ſententia, Eccleſiam non eſſe columnam & firmamentum veritatis, ſed poſſe errare docendo quid credendum ſit de prædictis & ſimilibus grauibus articulis fidei. Ex quo deinceps & illud infertur, lici-

tum eſſe opinari Eccleſiam (exempli gratia) & antehac totam, & nunc maiore ſui parte idololatriã in adoratione Euchariſtiæ approbare.

Et quia generalibus & blandis verbis, & in ſpeciem probabilibus rationibus hæc ſententia proponitur, ideo tanto magis contra eam ſcribendum putaui: quãquam credam & alios catholicos, latiùs & doctiùs contra vanitatẽ huius ſententiæ ſcripſiſſe, aut adhuc ſcripturos eſſe: aut fortè quia hæc ſententia ſeipſam ſatis ſui nouitate cõfutat, eam ſcripto refutare dedignabuntur.

Quoniam verò is qui hanc ſententiam primus publicauit, falsò titulum hunc libello ſuo præfixit: De

officio

Digitized by Google

officio pij, & publicæ trāquillitatis verè amantis viri, in hoc religionis diſſidio: *nos eundem ferè titulū præfiximus opuſculo noſtro.*

Obſecro autem authorem prædicti libelli (ſi adhuc, vt putatur, in viuis ſupereſt) per miſericordiam Dei & crucem filij eius, & communicationem ſancti Spiritus, quādoquidem ſe id (quod vanum iudicamus) ſentire dicit, niſi eū ab hac ſententia grauior authoritas, rationesq́ validiores dimoueant, vt ſi nunc fortè grauior authoritas, rationesq́ validiores, aut alio modo Deus eum ab hac ſententia dimouerit, aut videat ſententiam ſuam priorem aliquo modo labaſcere, vel aliqua ex parte mutare, ſicut eum

iam

iam videre ſpero, dignetur apertè, omiſsis nutationibus ac dubitationibus, hoc ipſum profiteri, vt quicunque prioris ſententiæ propoſitione ſunt ſcandalizati & contriſtati, emendatione ac perſpicua atque particulari Eccleſiæ catholicæ eiusq́; doctrinæ profeſsione ædificentur atque lætentur. Dominus Ieſus Chriſtus te perpetuò inter omnes vitæ huius varietates atq; miſerias, in vera fide & pietate conſeruare & corroborare dignetur, nobiliſsime Domine.

Louanij ex minori collegio Theologorum, anno M. D. LXV. II. Nouembris.

Digitized by Google

DE OFFICIO PII VIRI.

SCRIPTOR quidam, CAPVT I.
ſuppreſſo nomine ſuo &
impreſſoris ac loci, li-
brum inſcriptum *De offi-
cio pij ac publicæ tranquillitatis verè
amantis viri in hoc religionis diſſidio*, nu-
per emiſit: Qui titulus certè multùm
blandus eſt, ſicut & pacis nomē. Sed
nobis obſeruāda eſt euangelica ſen-
tentia, diſcernēs pacem Chriſti à pa-
ce mundi: Pacē (ait Chriſtus) relin- Ioan.14.
quo vobis, pacem meam do vobis.
Non quomodo mundus dat, ego do
vobis. Quam mūdi pacē, quæ in cō-
cordia cū peccato conſiſtit, Chriſtus
non confirmatū, ſed euerſum venit.
Sicut ipſe teſtatur: Nolite (inquit) Matth.10.
arbitrari, quia pacē venerim mitte-
re in terram. Nō veni pacem mittere,
ſed

Digitized by Google

ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius.

APVT II. Videamus igitur quam pacẽ contra hoc religionis diſſidium, pium virum amplecti velit hic ſcriptor. Scribit fol. 19.

TOTVS *Chriſtus caput eſt & corpus. A capite non receditur, niſi per falſam & ſcripturis ſacris diſſentaneam de capite Chriſto doctrinam: à corpore verò quod eſt Eccleſia, non per quamuis rituum & opinionum diuerſitatem, ſed per ſolã charitatis defectionem. Quare vt antè quoque dixi, qui recta ſententia de Chriſto, capiti iunguntur: & charitatis & pacis vinculo, etiamſi opinionibus quibuſdã & ritibus diſcrepent, reliquo Eccleſiæ corpori connectuntur: nullo modo vt ſchiſmatici, & ab Eccleſia alieni habendi ſunt, etiamſi*

ab

Digitized by Google

ab alia Eccleſiæ parte potentiore, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum ſocietate & cõmunione ſeparati videantur. Neque enim quæuis reiectio & ſeparatio ſchiſmaticos facit, ſed initia ſeparationis & cauſæ ſpectandæ ſunt: Non enim ſeparatio facit ſchiſma ſed cauſa. Hæc de iis tantùm loquor, qui hanc ſeparationem iniquè ferunt, & omnibus votis pacem & conciliationẽ deſiderant, & à quibus quadam ex parte externa communione ſeparantur: fidei tamen & charitatis vinculo coniunguntur, & ad omnem cõſenſionem & communionem parati ſunt, quam diuinis inſtitutis & mandatis non aduerſari arbitrantur. At dicas, perpaucos eſſe hoc animo præditos. Plerique enim ex iis qui ſibi ab Euangelio nomen ſumpſerunt, eam partem quæ vetus Catholicorum & Romanæ Eccleſiæ nomen retinet, prorſus aſpernantur, omnemque eius communionem defugiunt, nec vt membrum eiuſ-

dem

Digitized by Google

dem corporis amore & miſericordia proſequuntur, ſed vt Sathanæ & Antichriſti corpus abominantur. Scio id quidem, & doleo: & qui eiuſmodi ſunt, quomodo à ſchiſmatis nota eximi poſſint, nõ video. Id certè ſcio, principes aliquot illius partis, atque adeo ipſum ducem, qui primus ad repurgãdas ſordes Eccleſiæ facem prætuliſſe videtur, longè aliud non vno in loco ſcripſiſſe. Et infra, fol. 25. *Quicquid igitur in vtraque hac Eccleſiæ parte, ſiue ea antiquo nomine Catholica, ſiue nuper nato Euãgelica nũcupetur, integrũ, ſanũ, doctrinæ Euãgelicæ & Apoſtolicæ traditioni conſentaneũ inuenio, id vt Chriſti Eccleſiæ proprium veneror & amplector: eamque Eccleſiam, quod in fundamento veræ & Apoſtolicæ doctrinæ, quæ breuiſſimo illo fidei ſymbolo continetur, conſiſtat, nec impio ſchiſmate à reliquarũ Eccleſiarum communione ſe ſeparet, veram Eccleſiam, veræque Eccleſiæ & Catholicæ Eccleſiæ*

cleſiæ Chriſti membrũ eſſe iudico. Neque id tantùm de Occiduis, ſed etiam Orientaliũ Eccleſiis, vt Græcorum, eorumq́ue qui ipſorum inſtituta ferè ſequuntur, vt Ruthenorum, Syrorum, Æthiopum & Armeniorum, ſentio: niſi me ab hac ſententia grauior authoritas, rationesq́ue validiores dimoueant. Neque ad hanc vnitatem catholicæ Chriſti Eccleſiæ diuellendam & diſtrahendam, Cæremoniarum aliquot & quæſtionum diuerſitatẽ valere puto, modò in fundamento fidei cum capite Chriſto & in ſyncera charitate cum corpore eius quod eſt Eccleſia, communio & ſocietas retineatur. Hæc ille:

FIDES Chriſtianę doctrinæ, quæ à Paulo non ficta, & ſimpliciter fides appellatur, fundamentum eſt Chriſtianæ religionis, quo ſublato, corruit religio Chriſtiana. Igitur cũ ijs, vbi fundamentum iam corruit, nulla Chriſtiana pax iniri vnquam po- CAPV III. 1.Timoth.1

B teſt,

teſt, nullaque conciliatio, niſi ad hoc vt fundamẽtum iterum redintegretur, vel denuo cõſtituatur. Fides autem non eſt, niſi integra ſit: ſicuti & reliquæ virtutes rationẽ virtutis non habent ex vno vel altero contrario abiecto, niſi quicquid eſt cõtrarium abiiciatur. vt iuſtus dicendus nõ eſt, qui vni creditori ſoluit, alterius interim bona retinens. Nec caſtus eſt maritus, qui alienam quidem vxorem non ſtuprat, ſua tamen non contentus, cum alia nulli nupta rẽ aliquando habet. Obiectum autem Chriſtianę fidei, ſiue materia circa quam verſatur, eſt verbũ Chriſti vel Dei; quod ingenio humano non apparet: ſicut ex 10. cap. ad Rom. 1. ad Theſſal. 2. & 11. ad Hebræos rectè colligitur. Loquitur autem Deus & locutus eſt nobis, & per ſe, & per miniſtros ſuos, de Deo ipſo, de Chriſto & de Chriſti

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia, ſicut ex Prophetis & Apoſtolis clarum eſt. Vnde in ſymbolo profitemur hæc tria nos credere. Deficit igitur à fundamento Chriſtianę religionis, nempe fide, ſi quis vel de Deo vel de Chriſto vel de Eccleſia rectam fidem nō teneat, ſed per errorē vel dubitationē ab ea deficiat: & hoc vel apertè, ſicut Manes, dicens Deum non creaſſe cælum & terrā & alia viſibilia: vel tectè, ſicut Hermias, dicens materiā Deo coæuam. Sic apertè Simon magus negauit Ieſum eſſe filium Dei ſaluatorem crucifixum: Neſtorius occultè, dum verbis fatebatur Ieſum eſſe Dei filiū, reipſa autē negabat. Sic apertè Eccleſiam catholicam negabat Donatus, dicens eam de toto orbe terrarum periiſſe, & in ſola Aphrica remanſiſſe: tectè autem negabat ſanctitatem eius Nouatus, dicens ſecundas nuptias illicitas, &

Digitized by Google

poteſtatem abſoluendi in negationem Chriſti lapſos ei auferens. Sic noſtris temporibus ſanctitatem Eccleſiæ latenter aufert Lutherus, docens baptiſma nõ tollere peccata, & ſpecialem fidem iuſtificare: & Caluinus, docens Euchariſtiam non eſſe propriè corpus & ſanguinem Chriſti: hinc apud veteres doctores atq; concilia, priores & omnes eis adhærentes relati ſunt inter hæreticos, ſicuti Lutherus cum ſuis noſtro tẽpore, & Caluinus tempore Berengarij.

CAPVT IIII.

QVOD ſi quis de Lutherano dogmate & Caluini contendere velit, hoc proprij eſt tractatus. nunc ſufficit certum habere (ſicuti clara veritas habet) eos fidei reuera aduerſari, & oppoſita dogmata omnibus eſſe credenda, poſt promulgatam illorum à conciliis & pontificibus damnationem. Imò nunc ſufficit vel ſola priora

alle-

Digitized by Google

allegaſſe ad confutãdam vanitatem illorum, qui opinantur, & aliis opinandum proponunt, omnes eos qui ſymbolum Apoſtolicum recipiũt, & de Chriſto capite rectè credunt, & diligunt eccleſiam Chriſti, vbicunque ſit, nec hoſtes ſe præbent (exempli gratia) dogmatis Lutheranis vel Caluini eſſe fideles, & Catholicæ Eccleſiæ Chriſti membra. Nam omnia iſta conſiſtunt in eo, qui vere fidelis non eſt, & reipſa negat ſanctam Eccleſiam: Conſiſtũt in eo qui poſt legitimam totius Eccleſiæ Catholicæ declarationẽ, negat Spiritum ſanctũ à Filio procedere, qui ponit vnicam in Chriſto operationem & voluntatem, qui dicit non eſſe peccatum originale, nec egere nos Chriſti gratia ad bene agendum: Quia videlicet hi adhuc recipiũt ſymbolum Apoſtolicum, & rectè ſentiunt de capite Chri

ſto,in genere loquendo, fatētes eum filium Dei, deum & hominem, ſaluatorem noſtrum. Quod ſi dicas hos poſteriores circa Chriſtum caput errare,fateor quidem,ſed latenter tantùm errant, nec expreſſè negant eum eſſe Deum ſaluatorem, &c. Cur igitur hæretici ſunt, quia latenter circa eum errant, & hæretici non ſunt,qui latenter circa illum articulum: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, errant? Aliter nos docuerunt concilia, Tridētinum, Conſtantienſe, Florentinū,Lateranenſe, Synodus 7. cōcilia Aphricana,Romani pontifices; qui etiam anathema dixerunt,& tanquam hæreticos ab Eccleſia eiecerūt eos qui rectè de Chriſto capite ſentiētes,circa aliquod particulare dogma ab Eccleſia receptum, & in ſymbolo non expreſſum errarūt, ſiue illud cōfiteri noluerūt. Nónne Quartodecimani,

Digitized by Google

mani, Aquarij, Nouatiani, Aëriani, & ſimiles, hæretici rectè iudicati ſunt?

MONET ſcriptura & vetus & noua, vt populus prępoſitos ſuos audiat & ſequatur. Imo Apoſtolus teſtatur idcirco datos paſtores & epiſcopos atque doctores, vt regant Eccleſiam Dei, vt confirmēt eos in doctrina ſana, vt contradicentes redarguant, vt ædificēt ſanctos ne circumferātur omni vento doctrinæ, vt non fluctuent. Atque eo ipſo mandauit priuatis, vt ſuos doctores atque paſtores audiant, præſertim primum, cui omnes paſcendos cōmiſit, quem domui ſuæ, vt vigilet an quiſque officio ſuo gnauiter incumberet, peregrè profectus præfecit: ſuper quem Eccleſiam ſuam ita ſe ædificaturum promiſit, vt portæ inferi aduerſus eā non pręualerent, cui etiam fidem indefectibilem, qua fratres ſuos in tenta-

CAPVT V.

Act. 20.

Tit. 1.

Ephe. 4.

Ioan. 21.

Marc. 13.

Matth. 16.

Luc. 22.

Digitized by Google

tationibus confirmaret, addixit. Nos igitur priuati pij viri officiũ docemus eſſe, audire paſtores, præcipueq́ue primum, datos Eccleſię à domino Chriſto ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei: idq́ue ex vtriuſque Teſtamenti ſcriptura.

phe.4.

APVT VI.

Ex qua etiam hoc docemus, non eſſe priuati viri, aut cuiuſuis publicũ in populo Chriſtiano officium gerẽtis, priuato ſuo iudicio diſcernere veram doctrinam à falſa, rectum Dei cultum à ſuperſtitioſo: ſed neceſſe eſt, quemlibet ſuum iudicium circa religionem quæ publica eſt, & pro toto populo à Chriſto tradita, iudicio publico paſtorũ à Chriſto Eccleſiæ datorum cõformare. Quanquam aliter videatur tam de priuato viro quàm

Digitized by Google

quàm publicum munus in Eccleſia gerente, dicto ſcriptori, fol. 26.

NEQVE *verò* (inquit) *ita partium ſtudium vitandũ puto, vt vtraque parte improbatâ, nouam quandam & neutralem (quam vocant) ſectam introducere videaris, ſed eam tantùm partium addictionem improbandam duco, quæ libertatem & æquitatem iudicandi præpediat, qua videlicet à vitiis & erroribus, quibus neutra pars omnino immunis eſt, conſiderandis & reprehendendis auoceris: & ad ea quoque quæ in altera parte recta & ſana ſunt aſpernãda: eamque hoſtili animo perſequẽdam compellaris. Quin potius hæreſibus, quæ per impia de Chriſto dogmata à capite Chriſto, & nefario ſchiſmate ab eius corpore receſſerũt, damnatis, in vtraque hac parte quæ fundamentum religionis retinet, ita verſandum exiſtimo, vt ſi non per omnia in ritibus & ſententiis conueniatur, charitatis tamen*

communio firmiter retineatur, & ad plenam quoque ſolidámque concordiam conſtituendam omni ſtudio contendatur. Hoc ego officium pij viri ſuæque ſaluti conſultum volentis, his perturbatiſſimis periculorúmque pleniſſimis temporibus, eſſe iudico. Quod qui præſtent, eos verè puréque Catholicos eſſe & dici poſſe arbitror.

De publico autem viro, ſic habet fol. 34.

HAEC (quæ ſcilicet præcedũt) *de officio boni pijque viri ſed priuati, nulloq; publico in Eccleſia munere fungentis, dicta ſint. Eorum verò qui publicum docẽdi & res diuinas adminiſtrãdi officium tenent, alia ratio eſt. Ad eos enim præterea pertinet, vt peruerſas opiniones & falſos cultus, ſi quos in ſua parte obtinuiſſe perſpexerint, neque ignauè diſſimulando alant, neque importunè inſectando confirment: ſed modò prudenter de iis corrigendis diſpiciant, modò etiam ſi res ferat, propheti-*

Digitized by Google

co ſpiritu afflati liberè conſtãterque apertas diuinæ legis tranſgreſſiones redarguãt, neque vllum huius rei cauſa periculũ defugiant: exemplo Zachariæ filij Ioiadæ, 2.Paral.24. *qui indutus ſpiritu Dei, populum & regem palàm tranſgreſſionis & defectionis accuſauit. Quare regis Ioæ iuſſu à populo in ipſo templi atrio lapidatus occubuit.*

Ex his locis patet, hunc ſcriptorẽ & priuato & publico viro concedere iudiciũ de opinionibus, num peruerſæ ſint an rectæ: & de cultibus, num falſi ſint, an veri (diſſimulamus quod de prophetico ſpiritu dicitur, cùm iam tẽpus illud agatur, de quo Apoſtolus: ſiue prophetię ceſſabunt) 1.Corint.13. Quid igitur ſi pius vir aliquis tandẽ iudicauerit (is enim cui libertas iudicandi eſt, aliquando poteſt iudicare) & aut Papiſticã aut aliam partem rectè ſentire de religione, & meritò hoſtiliter inſequi diuerſa ſentientes,

quæro

quæro an ne ipſe etiam hoſtilem animum debet induere, & iis quos iuſtam cauſam habere iudicauerit, adhærere? Puto quemlibet hoc confeſſurum; eò quòd nõ liceat contra cõſcientiam agere. Cur igitur omnes hoſtiliter eos, qui diuerſa ſentiunt, perſequentes, extra Eccleſiã ponuntur? Cur aſſeritur officium eſſe pij viri, quod pietas aliquando cogit eum relinquere, vtpote in quo ſi perpetuò conſiſteret, impius eſſet?

CAPVT VII.

DENIQVE pij viri tam priuati quàm publici eſt, ita actiones ſuas moderari, ne alijs, ſiue in malo firmandis, ſiue ad malum declinaturis origo ſit ſiue ſcandalum. Notum eſt autem omnes cum aliquo in Sacramentis Chriſti communicantes, ipſo opere illius religionem confirmare, & alios quãtum in ſe eſt, ad illius religionem adducere. Tam enim factis quàm

Digitized by Google

quàm verbis oſtendimus noſtram de religione ſententiam. Non eſt igitur officij pij viri, manere in eius cõmunione, quem iudicat falſam vel incertam habere religionem, quem iudicat extra Eccleſiam Chriſti eſſe, quia ſuam religionem ſolam eſſe rectam iudicat, aliorum ſententijs hoſtiliter condemnatis.

SED ſi verũ eſt (quod ait opinator) pleroſque Euãgelicos eſſe extra Eccleſiam Catholicã, quia charitatẽ Eccleſiæ nõ habẽt, ſed Eccleſiã Romanam tanquam Antichriſti corpus inſectãtur, & ſeparationẽ à Ro. Pontifice nõ ægrè ferũt: eos aũt eſſe intra Eccleſiã, qui ægrè ferũt ſeparationẽ quam Papa fecit: certè ſimiliter, vt plerique Euangelici & Papa, & quotquot ei firmiter adhærent, extra Eccleſiam erunt, vtpote ſeparantes & hoſtiliter inſectantes eos qui adhuc intra Ec- CAPVT VIII.

cleſiam

Digitized by Google

cleſiam iudicio opinatoris cõſiſtunt. Neceſſe igitur erit pium virum ne ſcandalizet eos & alios, vitare in Sacramentis Chriſti illorum omnium communionem, & nouam quãdam ſocietatem & communionem atque Eccleſiam inſtituere, in quam ſoli pacatores hi conueniant, qui ne in iudicio ſint præcipites, præter ſentẽtias rectas de Chriſto capite, vel expreſſa in ſymbolo Apoſtolico, nihil credẽdum proponunt. Ecce noua nõdum Deo propicio exorta, ſchiſmatica Eccleſia. Et dũ vitare velle videtur omnes hæreſes, ipſa hæreticiſſima fit, & Mahumetiſmo ex parte ſimilis.

CAPVT IX.

SED fortè opinator putat facta hominum & communionem Sacramentorum Chriſti, nihil de interiore hominis fide ſignificare. (Ex quo cõſequitur, pio viro licitum eſſe nunc Caluino, nunc Luthero, nunc alijs, prout

Digitized by Google

prout in varijs locis fuerit, communicare, ſicut faciebat Herodes, in Iudæa quidem Deum verum, alibi verò alienum Deum colens.) Aut Helchiſitas (de quibus Euſebius lib. 6. Eccle. hiſto. cap. 18.) ſupergrediẽs putat non ſolùm in perſecutione, ſed etiam in communicando Sacramentis Chriſti & diuino cultu, non eſſe crimen, aliud in corde gerere, aliud facto ſignificare. Nos in Catholica Eccleſia aliter inſtituti ſumus, & factum martyris Chriſti Ermigildi imitandum docemus. Hic enim martyr, vt Gregorius narrat lib. 3. dialog. cap. 31. de manu Arriani epiſcopi ſacrilegæ cõſecrationis communionem ſuſcipere renuit, ſed Arriano epiſcopo exprobrauit, vt debuit, eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit, malens mortem ſubire, quàm ſimulare Sacramentorum communione

Vide Ioſephum lib. 15. antiquit. cap. 14. & lib. 16. cap. 9.

Digitized by Google

nione perfidiã Arrij. Hæc eſt ex fundamento refutatio vanæ ſententiæ.

APVT X. POTEST tamen etiam ex communibus reijci, ſic: Hæc opinio noua eſt, neque expreſſis ſcripturis, nec à ſanctis patribus, nec ſcholaſticis doctoribus tradita, ſed ab iſto opinatore primùm inuẽta. Teſtis eſt ipſemet initio libri:

NON *ignoro*, inquit, *permultos eſſe, qui in hoc miſerabili Eccleſiæ diſſidio quo ferè hodie Chriſtianus orbis colliditur, vehementer angantur animo, & tanquam inter duos ſcopulos nutent, & remigent: qui cùm ſaluti ſuæ conſultum velint, quid fugiant vident: quò autem fugiant, videre nondũ potuerunt. Quæ cogitatio ipſa me quoque iam olim exercuit, & tanquam procella huc illuc impulit: donec tandem portum aliquem, in quo acquieſcam, reperiſſe mihi videor.*

MERITO igitur eſt ſuſpecta, & im-

improbabilis. Neceſſe enim erat hãc ſententiam quæ tam vtilis eſſe fingitur, vt pij viri officium in diſſidio religionis præſcribat, à multis ſanctis fuiſſe patefactam: cùm fuerint antea multa diſſidia, aut maiora aut paria diſſidijs noſtri temporis. Alioqui fingitur Spiritus ſanctus dormitaſſe, à docendo pios viros officium ſuum. Mirum autem ſi ſpiritus Chriſti vnũ iſtum ſcriptorem nomen ſuum ſupprimentem, officium priuati pij viri docuerit, & nullum adhuc excitauerit, qui publicũ virum officiũ ſuum exactè & particulariter docuerit, cùm ſpiritus Chriſti ſoleat magis docere ipſos gubernatores populi officium ſuum, quàm priuatos. ſicuti patet diligenter intuéti ſcripturas veteres & nouas. Vnde ad Reges ſolent Prophetę mitti, & ad ſacerdotes: & Apoſtolos Chriſtus præcipuè docuit.

CAPVT XI.

DOCTISSIMVS ille Vincentius Lyrinenſis in vtiliſſimo pro Catholicæ fidei antiquitate & veritate aduerſus prophanas omnium hæreſeôn nouationes libello, videtur doctiſſimè & ſolidè pij viri officium in procellis hæreſeôn deſcribere: Ille (inquit) eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiã, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicę fidei nihil præponit, non hominis cuiuſquam authoritatem, nõ amorem, nõ ingenium, non eloquentiã, non philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciẽs, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicã tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendũ credendumque decernit: Quidquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes vel cõtra omnes ſanctos, nouum

&

& inauditū ſubinduci ſenſerit, id nō ad religionē, ſed ad tentationē potius intelligat pertinere. Ac deinde diſertè exprimit, quomodo dubijs & timidis, qui ſe in portu ſecuro Eccleſiæ Catholicæ non tenuerūt (quibus alium, nuſquam exiſtentem portum demonſtrare conatur nouus hic ſcriptor) agendum ſit: Et reuera (inquit) cùm quæque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearū: tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alij ilico prorſus auolant, alij verò tantummodo excuſſi, & perire metuūt, & redire erubeſcunt, ſaucij, ſemineces, ſemiuiui: quippe qui tātam veneni hauſerint quantitatē, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec viuere ſinat. Heu miſeranda conditio, quā-

tis illi curarũ æſtibus, quantis turbinibus exagitãtur! Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur, nunc in ſemetipſos reuerſi, tanquam contrarij fluctus relidũtur: nunc temeraria præſumptione & ea quę incerta vidẽtur approbãt, nunc irrationali metu, etiã quæ certa ſunt expaueſcũt; incerti qua eant, qua redeãt, quid appetãt, quid fugiãt; quid teneant, quid dimittãt. Quę quidem dubij & malè pẽduli cordis afflictio, diuina erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcirco etenim extra tutiſſimũ Catholicę fidei portũ, diuerſis cogitationũ quatiũtur, verberãtur ac penè necantur procellis, vt excuſſà in altũ elatæ mẽtis vela deponãt, quę malè nouitatũ vẽtis expanderant, ſeſeque intra fidiſſimã ſtationẽ placidę ac bonæ matris reducãt, & teneãt, atque amaros illos turbulentosq; erro-

rum

rum fluct⁹ primitus reuomãt,vt poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant benè quod didicerunt nõ benè: &,ex toto Eccleſię dogmate,quod intellectu capi po teſt,capiant; quod nõ poteſt,credãt.

CVM hæc ſæpe legiſſe nouitium iſtum opinatorem non dubitem,mirum videretur cur hæc non diligenter expenderit , niſi ſciremus verum eſſe,quemlibet in ſua cauſa cęcutire, & medicum ægrotãtem ſeipſum curare non poſſe, & velamen eſſe poſitum ſuper eorum corda,qui ad Chriſtum ſyncerè cõuerſi non ſunt. Qualis conuerſio nulli, quamdiu ad Catholicam Eccleſiam ſeriò redire, aut venire non vult , contingere poteſt. Non enim poteſt Chriſto naſci, qui matris omnium filiorum promiſſionis, id eſt Eccleſiæ vtero antè conceptus non fuerit. Non poteſt ad Chri- CAPVT XII.

Digitized by Google

ſtum redire, qui ſponſam eius aut aſpernatur, aut honore debito ſpoliat.

CAPVT XIII. HIC opinator quædam adiũgit, ad declarãdum, eſſe iniquam eorum querelam, qui his religionis diſſidijs ſe à pietatis ſtudio retardari & auocari querũtur. Et in huius probationẽ quædã ex ſcripturis, atque veteribus adducit. Quibus, quia ex eadem erroris radice dicuntur, & ſententiam principalem opinatoris confirmare videntur, reſpondendum eſt. Sic autem habet, fol.30.

INANIS *mihi eorum oratio videtur, qui his religionis diſſidiis ſe à pietatis ſtudio retardari & auocari queruntur. Satis enim ampla pietatis exercendæ materia in iis rebus, quibus in rebus vtrinq; cõueniuntur, propoſita eſt. Nã de fide in Chriſtũ mortuum & reſuſcitatum pro nobis, collocanda, & charitate Deo & proximo exhibenda controuerſia nulla eſt. Porrò in his duo-*

*duobus capitibus pietatis ſumma conſiſtit.
Quid enim eſt aliud pietas quàm officium
præſtare Deo? quod officium quid aliud eſt
quàm eius obtemperare mandatis? Porrò
mandata eius, Apoſtolo eius teſte, grauia
non ſunt: videlicet ex Deo natis, & eius* 1.Ioan.5.
Spiritu præditis. Hoc eſt, inquit, manda- 1.Ioan.3.
*tum eius, vt credamus in nomine filij eius
Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum. Nō
igitur pietas ſubtiles arduarum & diffici-
lium quæſtionum diſceptatores, & curio-
ſos latentium & abditarum rerum inue-
ſtigatores: ſed ſimplices breuiſſimi verbi,
hoc eſt, mortui & reſuſcitati Chriſti pro-
feſſores, & fidos voluntatis ſuæ executo-
res requirit. Propè, inquit Paulus, eſt ver-* Roma.10.
*bum in ore tuo, & corde tuo: hoc eſt ver-
bum fidei quod prædicamus. Quia ſi con-
fitearis in ore tuo dominum Ieſum, & in
corde tuo credideris, quòd Deus ſuſcitauit
eum à mortuis, ſaluus eris, &c. Et idem:
Nemini, inquit, quidquam debeatis, niſi*

om.13. vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Et ad Timotheum monet non intēdendum fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæſtiones exhibent magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in
.Timoth.1. fide: finem autem & complementum totius præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Opportuna igitur & obſeruatione digna eſt oratio Irenæi, quæ extat lib.2. de hæreſibus: Melius eſt, inquit, nihil omnino ſciētem quempiam, ne quidem vnam cauſam cuiuſlibet eorum quæ facta ſunt, cur factum, & credere Deo, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud quærere ad ſcientiam niſi Ieſum Chriſtum filium Dei qui pro nobis crucifixus eſt: quàm per quæſtionum ſubtilitates & multiloquium in impietatē cadere. Cui & hæc Hylarij oratio cōſentit lib.10. de Trinitate. In ſimplicitate fides eſt: in fide iuſtitia eſt: in confeſſione pietas eſt. Non per diffi-

difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe dominū confiteri. Non eſt igitur quod quis vel inquietorum hominum contentiones, vel rerum credendarum & faciendarum difficultates & perplexitates ignauiæ & impietati ſuæ prætexat. Sunt quidem nonnullæ quæſtiones, quæ à curioſis & inquietis hominibus excitatæ, etiam doctis & pijs viris negotium faciunt. In his ea moderatio adhibenda videtur, vt primum de iis nihil temerè, præſertim quod ſit manifeſto Dei verbo cōtrarium vel alienum, ſtatuatur: neque propria ſententia contentioſè & pertinaciter obtrudatur & defendatur, diſſentientes verò non ſuperbè & contumelioſè repellantur. Atque vtinam his temporibus audiatur B. Auguſtinus, qui pios quoſdam & religioſos viros

de prædeſtinationis myſterio nō ſatis inter ſe conuenientes his verbis commonefacit: Nunciatum eſt mihi de vobis fratres, ab aliquibus qui in veſtra cōgregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, quòd de hac re diſſentiones in vobis ſunt. Itaque dilectiſſimi ne vos perturbet huius quæſtionis obſcuritas, moneo vos primùm vt de his quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quidquid eſt autem quò peruenire nondum poteſt veſtræ mentis intentio, pacē inter vos & charitatem ſeruantes, à domino vt intelligatis orate: & donec res ipſa perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate quò peruenire potuiſtis. Hæc admonet Apoſtolus Paulus, qui cùm dixiſſet nōdum ſe eſſe perfectū paulo pòſt ait: Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus: id eſt, ita nos eſſe perfectos, vt nondum ad perfectionē quæ nobis ſufficit, venerimus: continuoq́ue ſubiunxit: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus reuelabit, verū-

Philipp. 3.

tamen

Digitized by Google

tamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Huic conſilio Auguſtini, imò verò Apoſtoli, ſi quidam obtemperarent, melius & publicæ quieti, & ſuæ tranquillitati conſulerent.

HAEC opinator. Qui ita hæc ſcribit, veluti & apud Papiſtas ſiue Catholicos, & Luthero ſiue Caluino adhærentes, integra pietas poſſit conſiſtere. Satis enim (inquit) ampla pietatis exercendæ materia in ijs rebus, quibus in rebus vtrinque conuenitur, propoſita eſt.

NOS autem quia nullã pietatem ſine integritate fidei agnoſcimus, & omnes Lutheri atque Caluini dogmatibus adhærentes, vel ea anathematizare formidantes, à fide extraneos eſſe ſcimus, nuſquam pietatem eſſe, niſi apud Catholicos, inque noſtra parte ſcimus. Dicimusq; nõ eſſe iniquam neque inanem orationem CAPVT XIIII.

eorum,

eorum, qui conquerũtur ſe retardari & auocari per hæreticorum prędicationem à pietatis ſtudio, quia reuera per eam retardantur & auocantur à ſtudio pietatis: etſi propterea de Dei iuſtitia iuſtè cõqueri nequeant, (nos autem iam querelam, expoſitionem propriæ miſeriæ vocamus.) Nónne pſeudoprophetæ & pſeudochriſti rectè à Chriſto dicuntur multos ſeducere? Auocant igitur à ſtudio pietatis. Nónne Apoſtolus dicit eos alios in errorem mittere? Impediunt ergo ſtudium pietatis. Conuenitur quidẽ ab vtraque parte, etiam hæretica, in generali de fide in Chriſtum mortuũ & reſuſcitatum collocanda, & charitate Deo & proximo exhibenda. Et in his capitibus tanq̃ in generalibus principijs pietatis ſumma conſiſtit.

Matth.24.

2. Timoth.3

CAPVT XV.

SED cùm particulariter expenditur quanta lateant in Chriſto mortuo

tuo & reſuſcitato, in dilectione Dei & proximi generatim expreſſis, inueniuntur hæretici & Catholici non conſentire reuera in fide Chriſti mortui & ſuſcitati, nec in legis dilectionis vera intelligentia. Nos dicimus eum non diligere Deum, qui præcepta eius non cuſtodit. Præceptũ eius eſſe dicimus, vt qui caſtitatem Deo vouit, primam fidem irritam non faciat, volendo nubere: Diuerſum omnino hæretici. Nos dicimus eum credere in Chriſtum mortuum, qui credit qualem crucifixionem concupiſcẽtiarum quærat à nobis Dominus: dicimusq́ue vnam atque prçcipuam eſſe crucifixionẽ proprij ſenſus, per quam fit vt quis omnia quç à paſtoribus & doctoribus, præcipueq́; primo, credenda tradãtur, promptè ſuſcipiãtur. Nos dicimus non tantùm exigi à nobis fidem Chriſti, ſed & Eccle-

Eccleſiæ. Aut ſi mauis, dicimus eum in Chriſtum credere, qui non ſolum de ipſo rectè ſentit, ſed et de eius corpore, nempe eccleſia, et quos homines perducit ad vitam æternam. Certè D. Auguſtinus quoſdam ſentientes baptizandis fidem tantùm, non etiam legem bonorum operum eſſe tradendam, ita confutat, vt ſcripturas quibus Philippus legitur fidem in Chriſtum à baptizando Eunucho exegiſſe, & Paulus ſolum Chriſtum crucifixum inter Corinthios ſciuiſſe, ſic, vt iam expoſuimus, interpretetur,

.ct.8.

.Corint.1.

lib. de fide & operib. cap.9. Hoc eſt, inquit, euangelizare Chriſtum, non tantùm dicere quæ ſint credenda de Chriſto, non ſolùm cuius ſit filius, vnde ſecundùm diuinitatem, vnde ſecundùm carnem genitus, quæ perpeſſus & quare, quæ ſit virtus reſurrectionis eius, quod donum ſpiritus

pro-

Digitized by Google

promiſerit, dederitque fidelibus, ſed etiam qualia membra, quibus ſit caput, quærat, inſtituat, diligat, liberet, atque ad æternã vitam honoremque perducat. Hęc cùm dicuntur aliquãdo breuiùs atque cõſtrictiùs, aliquãdo latiùs & vberiùs, Chriſtus euangelizatur, & tamen non ſolùm quod ad fidem, verùm etiam quod ad mores fidelium pertinet non prætermittitur. Et cap. 10. hoc intelligi poteſt etiam in eo quod commemorant dixiſſe Apoſtolum Paulum: Nihil me dixi ſcire in vobis niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Et infrà: Si Paulus nihil Corinthios amplius docuit quàm Chriſtũ crucifixum, quid ſi dicat aliquis nec reſurrexiſſe Chriſtum eos audiſſe, quando per euangelium geniti ſunt? Vnde eſt igitur quod eis dicit: Tradidi enim vobis in primis, quia Ieſus Chriſtus mortuus

1. Corinth. 2

1. Cor. 15.

tuus

tuus eſt,ſecundum ſcripturas,& quia reſurrexit tertia die ſecundũ ſcripturas,ſi nihil niſi crucifixum docuerat? Si autem non ita intelligunt,ſed hoc quoque ad Chriſtum crucifixũ pertinere concedunt, ſciant in Chriſto crucifixo multa homines diſcere, & maximè quòd vetus homo noſter ſi-
Roma. 6. mul crucifixus eſt, vt euacuetur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato. Vnde etiam de ſeipſo dicit:
Galat. 6. Mihi autẽ abſit gloriari,niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti,per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Proinde attẽdant & videāt, quemadmodum doceatur atque diſcatur Chriſtus crucifixus, vt ad eius crucem nouerint pertinere, quod etiam nos in eius corpore crucifigimur mundo. vbi intelligitur omnis coercitio malarum concupiſcentiarum, ac per hoc fieri non poteſt, vt

eis

Digitized by Google

eis qui cruce Chriſti informātur, pro-
feſſa adulteria permittantur. Nam &
Apoſtolus Petrus de Sacramento
ipſius crucis, hoc eſt, paſſionis Chri-
ſti, admonet, vt qui ea conſecrantur,
peccare deſiſtant, ita loquens: Chri- 1. Pet. 4.
ſto ergo paſſo per carnem, & vos ea-
dem cogitatione armamini, quia qui
mortuus eſt carne, deſijt peccare, vt
iam non hominum deſiderijs, ſed vo
luntati domini Dei reliquũ in carne
viuat &c. Quibus cõſequenter oſtẽ-
dit eum pertinere ad Chriſtum cru-
cifixum, hoc eſt, per carnem paſſum,
qui in eius corpore crucifixis carna-
libus deſiderijs bene viuit per Euan-
gelium.

SVBDIT opinator, mandata Dei CAPVT XVI.
grauia non eſſe ex Deo natis & eius
ſpiritu præditis, & hoc eſſe mandatũ
Dei vt credamus in nomine filij eius
Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrũ.

Digitized by Google

Similiter reſpondemus, eos qui Lutheri dogmata atq; Caluini anathematizare nolunt, ex Deo non eſſe natos, neque ſpiritu eius præditos, nec reipſa credere in Ieſum, eo modo quo antea explicuimus, nec verè proximum diligere; imò proximos à vita æterna ſuæ hęreſis exemplo, vt minimum auocare, etſi ſimpliciter aſſentiantur huic propoſitioni, Ieſus eſt filius Dei, & optent proximo bonum eſſe quod ipſi bonum iudicant. Nec eſt neceſſe, Ioanné Apoſtolum dictis verbis explicare omne Dei mandatum; ſed rectè dicas, eum explicaſſe id mandatũ quod propoſito ſuo ſeruiebat, qui contra negãtes Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei, hoc eſt, Ebionitas, & ſimiles peſtes præcipuè agebat. Sicut autẽ ipſe allegat illud: Mãdata Dei grauia non ſunt, charitati ſcilicet, atque homini quatenus ſpiritu

ritu Dei prædicus eſt,ita dignetur cõ
ſiderare illud domini ſaluatoris: Ar-
cta eſt via quæ ducit ad vitam.Arcta, Matth.7.
non tantùm hominibus ſpiritu Dei
vacuis,qui nondum ambulãt arctam
viam,ſed & ambulantibus eã,qualis
erat Apoſtolus Paulus , qui ſe viam
Dei ambulãtem infelicem deplorat,
dicens:Infelix ego homo,quis me li- Rom. 7.
berabit de corpore mortis huius? Et
ſe contra multiplices hoſtes, etiã ſpi-
ritales nequitias quotidie colluctari
dicit,& non quæcunque volebat,fa- Ephe. 6.
ciebat.Arcta eſt autem via ducens ad
vitam, non tantùm propter certamẽ
contra prauas cõcupiſcentias malo-
rum morum, ſed etiã præcipuè pro-
pter fidem cuſtodiẽdam, inter varias
hæreſeôn oppugnationes : ſicut Leo
explicat ſerm. 5. de natali Domini:
Ratio,inquit, diuini conſilij,ſapien-
tibus mundi patere non poteſt, niſi
 huma-

humanæ ignorantię tenebras lux vera diſcuſſerit. Non enim ſolo opere virtutũ aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei, anguſta & ardua via eſt quę ducit ad vitam, & magni laboris eſt magniq; diſcriminis, inter dubias imperitorũ opiniones & veriſimiles falſitates, per vnam ſanæ doctrinę ſemitam, inoffenſis greſſibus ambulare; & cùm vndique ſe laquei erroresque opponant, omne periculum deceptionis euadere. Quis autẽ ad hæc idoneus, niſi qui ſpiritu Dei docetur & regitur? &c.

CAPVT XVII. SVBDIT opinator: *Non igitur pietas ſubtiles arduarum & difficilium quæſtionũ diſceptatores, & curioſos latentium & abditarum rerum inueſtigatores: ſed ſimplices breuiſſimi verbi, hoc eſt, mortui & reſuſcitati Christi profeſſores, & fidos voluntatis ſuæ executores requirit: Propè,*

Digitized by Google

Propè, inquit Paulus, eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. Quia ſi cõfitearis in ore tuo dominũ Jeſum, & in corde tuo crediderís quòd Deus ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Et idem: Nemini, inquit, quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Et ad Timotheum monet, non intendendum fabulis & genealogijs infinitis, quæ quæſtiones exhibent magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide: finem autem & complemẽtum totius præcepti eſſe charitatem de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. Roma.10. Rom.13. 1.Timoth.1.

HAEC omnia libenter concedimus, ſaluis ijs quæ iam antè præmiſimus. Et quanquam iuxta Apoſtoli præceptum iudicemus non intendendum fabulis & genealogijs infinitis, aut his quæ queſtiones præſtãt magis quàm ædificationem Dei quę

Digitized by Google

eſt in fide, nulla tamen ratione concedimus, controuerſiam nobis eſſe cum Luthero aut Caluino de fabulis aut genealogijs, aut quæſtionibus nõ ædificantibus fidem. Quid enim magis ædificare poteſt fidem quàm intelligere cui fidei Chriſtus in Euangelio & Apoſtoli doceant tribuendã iuſtificationem, de qua inter Lutherum & nos eſt controuerſia? Quid magis ædificat fidem quàm intelligere, an per tropum an ſine tropo dixerit Chriſtus, Hoc eſt corpus meũ: ſimiliter patri ſuo loquens, dicenti: Hic eſt filius meus: de qua re nobis cum Caluino eſt controuerſia? Quid magis ædificat fidem, quàm noſſe illam Eccleſiam, quam in ſymbolo profitemur, quam Chriſtus præcipit audiendam, & cui promiſit portas inferi non præualituras: de qua cum pleriſque hæreticis, & hodiernis

Matth. 26. Matth. 3. Matth. 18. & 16.

Digitized by Google

nis omnibus eſt controuerſia?
Verba autem Irenęi atque Hilarij, libentiſſimè amplectimur, ſcimusque eos more Apoſtoli Pauli loqui. Verba quoque opinatoris quæ ſequuntur, nobis non aduerſantur.

SED quærat fortè ex nobis lector attentus, An reputemus nos quemlibet etiam priuatum Chriſtianum, debere omnes cõtrouerſias, inter Papiſtas & Lutheranos atque Caluiniſtas, exortas, noſſe, & de ſingulis prout eccleſia Catholica iudicat, arbitrari. Reſpondemus omnes Chriſtianos debere credere expreſſe ea quæ in Apoſtolico ſymbolo continentur: non ſolùm quia hæc Eccleſia omnibus ſuis filijs concionibus, ritibus, feſtis ab Apoſtolorum tẽpore & traditione præcepit (ob quam cauſam & ea dogmata quæ vniuerſalis Eccleſię ritus omnibus patefacit, ab omnibus CAPVT XVIII.

Digitized by Google

ſunt expreſſè recipiēda. vt quòd recte baptizentur infantes, adoretur & offeratur Euchariſtia, ſitque Chriſti corpus & ſanguis, quòd rectè ſub vna ſpecie communicetur, rectè oretur pro fidelibus defunctis, & inuocentur ſancti cum Chriſto regnātes) verùm etiam quia abſque fide iſta ſalus cōtingere nequit. Cùm enim ſint tres partes ſymboli, prima de Deo patre creatore, ſecunda de redemptore filio, tertia de ſanctificatore Spiritu, niſi credas Deum omnium creatoré, ignoras Deum, & ad eum pro iuſtitia & vita cōfugere nequis, ſine quo tamen ſalus non contingit, iuxta il-
ſal.78. lud: Effunde iram tuam in gētes, quę te non nouerunt, & in regna quę nomen tuū non inuocauerunt. &: Lon-
ſal.118. gè à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierūt. Si autem cognoſcas quidem Deum, ſed
igno-

ignores redemptorem & mediatoré Dei & hominum, in iuſtitia & vita quærenda errabis; vtpote reputans, te integrum atque minimè deprauatum, tibijpſi ad iuſtitiam & vitā comparandā ſufficere, nec gratia Dei egere. Aut ſi ea te egere cognoſcas, mediatore tamen te non egere, qui error eſt multum pietati veręque religioni contrarius, impediensque iuſtitiam, ſicut docet Apoſtolus, dicens: Ignorantes Dei iuſtitiam & ſuam quęrentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei nō ſunt ſubiecti. Et Apoſtolus Petrus: Non eſt in aliquo alio quàm Ieſu Nazareno crucifixo à Iudæis ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quod ſi mediatorem & redemptorem cognoſcas, ignores autem quem populum ſanctificet Spiritus ſanctus & Chriſti participem efficiat, multi-

Roma.10.

Act.4.

Digitized by Google

plici periculo ſalutis ſubiacebis. Cũ enim quemlibet oporteat in diſcẽdo Deo & eius cultu, aut ab ipſo Deo immediatè, aut ab eo cui Deus reuelauit & adeſt, inſtitui, ſi ignoret populum illum cui Deus adeſt, & quẽ inhabitat & gubernat; cùm immediatè vnicuique quod publicum eſt & omnium Deus non reuelet, non habebit cui in diſcendo Deo & mediatore Dei & hominum innitatur: ſed incertus & vagus, præter ſeipſum ignorantia & erroribus plenum, nullum magiſtrum habebit. atque ita præcipitabitur de errore in errorem; & tanto vehemẽtiùs atque grauiùs, quanto ſibi videbitur veluti religioſior, diligentiùs quæ Dei ſunt inueſtigare.

CAPVT XIX.

NECESSE eſt ergo noſſe Eccleſiam illam quã Spiritus veritatis gubernat, quam ipſe vocat domũ Dei, & co-

& columnam ac firmamentum veri- 1. Timoth. 3
tatis; aduerſus quam dicit Chriſtus
portas inferi non prçualituras, quam Matth. 16.
Prophetæ tam illuſtrem futurā præ-
dixerunt, vt omnibus gentibus eſſet
conſpicua: vſque adeo vt pro doctri- Eſai. 2.
na & lege Dei diſcenda, ſeſe mutuo
exhortantes omnes gentes, ad eam
confluerent. Nec tantū plebei atque
populares ex gentibus, ſed & reges
nobiles atque potentes & diuites:
Ambulabunt (inquit Eſaias) gentes Eſa. 60.
in lumine tuo, & reges in ſplendore
ortus tui. Et ne temporariam tantùm
putes lucem Eccleſiæ: Et aperientur
(inquit) portæ tuę iugiter, die ac no-
cte non claudentur, vt afferatur ad te
fortitudo gentium, & reges earū ad-
ducātur; gens enim & regnum quod
non ſeruierit tibi, peribit: meritò igi- Matth. 18
tur Chriſtus prçcipit hanc Eccleſiam
audiendam; vſque adeo vt qui illam
non

Digitized by Google

non-audierit, præcipiatur tanquam Ethnicus & publicanus habendus. Nec ſolùm ideo credenda atque cognoſcenda eſt vera Chriſti Eccleſia, quia columna eſt veritatis, per quam à falſa religione cuſtodiuntur, quotquot cuſtodiuntur: ſed etiam quia
Eſa. 54. ipſa mater eſt omnium. Vnde Eſaias ei ait: Lauda ſterilis quę non paris, & hinni quæ non pariebas; quia multi filij deſertæ magis quã eius quæ ha-
Galat. 4. bebat virum. Quod Apoſtolus repetens: Illa (inquit) quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Non ſumus ancillę filij ſed liberæ. Nec ſolùm mater eſt, quia rectam doctrinã de Chriſto tradit: ſed multo magis quia cuncta neceſſaria filijs ſuis impetrat. iuxta illud Apoſtoli:
Rom. 8. Spiritus poſtulat pro nobis gemiti-
Lib. 35. moral. cap. 6. bus inenarrabilib⁹. Sola Eccleſia eſt, inquit Gregor. per quã ſacrificiũ li-

ben-

benter Dominus accipiat: ſola quæ pro errãtibus fiducialiter intercedat: ſola eſt in qua opus bonũ fructuoſè peragitur: ſola eſt quæ intra ſe poſitos, valida charitatis compage cuſtodit: ſola eſt in qua ſuperna veraciter contemplamur. Hæc ſola corpus eſt Chriſti pro quo ipſum caput Chriſt⁹ ſe tradidit in mortẽ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam & immaculatã Eccleſiam. Deinde mater eſt Eccleſia, quia cuſtos & fidelis miniſtra eſt ſacramẽtorum, quæ tanquam vaſcula viuificæ medicinæ ex ſua paſſione plena Dominus nobis reliquit, quæ extra eccleſiam prodeſſe noluit. ſicuti Ezechiel ait: Sanandos omnes piſces in fluminibus, ad quoſcunque venerit torrens de templo à latere dextro egreſſus. At in littoribus, inquit, eius & paluſtribus, non ſanabuntur, quia in ſalinas dabuntur. hoc eſt, in hære-

Ephe. 5.

Ezech. 47.

ſibus

Digitized by Google

ſibus & ſchiſmatibus etiam ſi ſacramenta Chriſti & aliquam doctrinæ partem retineant; ſanationem tamen animæ non operabuntur. Quia igitur & Eccleſia mater eſt, per quam Chriſtus in nobis eſt efficax, Auguſtinus alicubi dicit, ſpem eſſe ponendam in Chriſto & Eccleſia: Aduenientibus, inquit, rebus quarũ erant vmbræ illæ obſeruationes, id actum eſt, vt oſtenderetur in ipſis vmbris non eſſe ſpem ponendam, ſed in ipſis rebus quas illæ vmbræ ſignificabant eſſe venturas, id eſt, Chriſtum & Eccleſiam. Ex his igitur admodum eſt perſpicuum, quanta cunctis fidelibus ſit neceſſitas cognoſcendi per fidem quænam ſit Eccleſia Chriſti.

Cap. 16. lib. contra Adimantum.

CAPVT XX.

SIC autem habent ſe tres partes ſymboli, vt in poſteriori includatur prior, non contrà. Qui enim fidem Chriſti redẽptoris habet, is & fidem

crea-

Digitized by Google

creatoris neceſſariò habet; cùm redemptor ad hoc tantùm venerit vt opus patris ſui creatoris inſtauraret. Non autem contrà. Nam Mahumetiſtæ credunt Deũ creatorem. Et quia ſe iuſtos & integros natos reputant, nullum agnoſcũt ſaluatorem à peccatis. Sic qui veram Chriſti Eccleſiã cognoſcit, is neceſſariò agnoſcit dominum Ieſum. Hunc enim illa præcipuè tradit & glorificat & omnia propter eum facit. At multi noſcunt redemptorem ſibi neceſſarium; cęterùm quia nolunt agnoſcere ſpõſam eius, per quam ipſe docet, quam ipſe exaudit, per quam bona ſua diſtribuit, nec integrę ſunt fidei, ſed tenebris infidelitatum multarum excæcati, & orationes eorum vertuntur in peccatum, nec euangelij Chriſti participes fiunt.

ET primùm quidem conflictauit CAPVT XXI.

gra-

grauiter Eccleſia, vt defenderet fidẽ Creatoris cæli & terræ cum Simone mago, Valentino, Marcione, Manichęo, Seleucho, & ſimilib⁹ peſtibus. Pòſt, Photinus, Arrius, Neſtorius, Eutices, Pelagius, Chriſti redemptoris myſterium exagitârũt. At nouiſſimo hoc ſeculo, tota cõtrouerſia ſuper vera Chriſti Eccleſia, eius ritibus & Chriſti ſacramentis, & his quę Eccleſiam concernunt, propriè orta eſt, & quotidie agitatur. in qua tentatione vt vehementer terrere debet Eccleſiã iudicantes ſiue damnantes tanquam non ſit Chriſti vera Eccleſia; ita plurimum eccleſiæ Chriſti filios conſolatur illud Eſaiæ in perſona Domini dictum Eccleſiæ: Eos qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ego ſaluabo. Quod dum mecum iterum atque iterũ conſidero, & aduerto multos iudicare imperitia, multos

Eſai. 49.

iudi-

Digitized by Google

iudicare fraudulentia aliorum deceptos, valde multis damnationẽ æternam timere compellor. Quacunque enim ratione ad hoc quis inducatur, vt eam quæ vera Chriſti Eccleſia eſt, tanquam non ſit eccleſia Chriſti cõdemnet, niſi hunc animum ante extremum diem mutauerit, non ſaluãdus tanquam filius Eccleſiæ, ſed tanquam condemnator, à Domino condemnandus dicitur.

NEQVE tamen ob hoc neceſſariò conſequitur eos qui fortè inter Turcas conſtituti, nihil nouerunt vel audierunt de ea quæ vera eſt Chriſti eccleſia, ſed credẽtes in Chriſtum & in aliquibus ſubtilioribus errantes, ac ſpecie quadam pietatis illuſi, opinantur eccleſiam eſſe apud ſe, hoc tamen non credentes ita inconcuſſè, vt nullius inſtitutionem cõtra ſuã opinionem parati ſint admittere; non CAPVT XXII.

conſequitur, inquam, hos à Domino iudicandos. Hi enim non iudicant Chriſti eccleſiam nec condemnant, vtpote circa quam nulla cogitatione verſantur. Sed neque conſequitur ex iſto, omnes Chriſti eccleſiam iudicátes eſſe hæreticos. Contingit enim peccare mortaliter circa credenda, ea per carnalem caliginem non ſuſcipiendo, aut contradicendo; attamen citra hæreſim, quæ tunc demum cõtingit, cùm apertiſſimè veritati contradicitur. Vnde D. Auguſtinus cap. vltimo libri de vnitate Eccleſiæ: Nõnulli, inquit, etiam bonæ voluntatis per carnalem caliginem, etiam poſt confirmatum contra eccleſiam Dei malignorum furorem, in illa diſſenſione diutius errauerunt, tanquam ſi adhuc mollia conculcarent frumenta, & radice viua herbæ vigor attereretur: etiam ipſa tamen frumenta

ſua

Digitized by Google

ſua nouerat Deus, quamuis vt reuiuiſcerent, arguenda & increpanda. Non enim eo modo dictum eſt Petro: Redi poſt me ſathana: quomodo dictum eſt de Iuda; vnus ex vobis diabolus eſt. Quidã quoque & apertiſſimæ veritati malo ſtudio contradixerunt. Illi verò eradicati vel præciſi erant, ſed nõ permanentes in infidelitate, ſicut de quibuſdam ramis fractis Apoſtolus dicit, manu diuina replantati, aut iterum inſerti ſunt. Tunc enim quiſque infructuoſus & nondum à radice præciſus eſt, cum mala cupiditate agit quidẽ illa opera, de quibus dictum eſt: Quoniam qui talia agunt, regnũ Dei non poſſidebunt, ſed cùm pro ipſis operibus, etiam veritati apertiſſimę qua redarguitur, reſiſtere ceperit, tunc præciditur. Hæc Auguſtinus. Matth. 16. Roma. 11. 1. Cor. 6.

CAPVT XXIII.

DAMNATVR homo nõ ſolùm

Digitized by Google

pro peccato hæreſeos, ſed etiam pro
Luc. 6. peccato alio. Chriſtus in Euangelio dicens: Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini, oſtēdit peccatum damnabile eſſe, ſi quis vnum hominem iniquo iudicio grauet, malum de proximo in corde ſuo, ex leuibus ſignis pronuncians. Quāto iniquius ergo eſt, eccleſiam Chriſti iudicare, quæ plurima ſigna habet quod ſpōſa ſit Chriſti; in qua nulla ſunt ſigna contrarij, niſi quæ ſigna eſſe iudicantur à prauis & non plenè fidelibus hominibus ex ipſorū prauitate. Certè D. Auguſt. extra Eccleſiam Chriſti exiſtentes, & intrare differentes ex varijs cauſis, rectè docet, niſi Eccleſiam intrauerint, ſaluari non poſſe. Quanto magis ſaluari nequeunt qui
Epiſt. 48. in ea renati, ab ea exeunt? Quàm multi, inquit, (quod certò ſcimus)

iam

Digitized by Google

iam volebant eſſe Catholici, manifeſtiſſima veritate commoti, & offenſionem ſuorum reuerendo, quotidiè differebant! Quàm multos, non veritas (in qua nunquã præſumpſiſtis) ſed obduratæ conſuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis compleretur diuina illa ſententia: verbis non emendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obediet! Quàm multi propterea putabãt veram Eccleſiam eſſe partem Donati, quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatem, ſecuritas torpidos, faſtidioſos pigroſque faciebat! Quàm multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant! Quàm multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & Prouerb. 29.

eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat! His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges ſeruiũt domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus: ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamq́ue faciendi & dilationum morulas amputauit. Alij dicãt, hoc eſſe verum iam ſciebamus; ſed neſcio qua cõſuetudine tenebamur. Gratias domino qui vincula noſtra dirupit, & nos ad pacis vinculum tranſtulit. Alij dicant; Neſciebamus hîc eſſe veritaté, nec eam diſcere volebamus, ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit intẽtos, quo timuimus ne fortè ſine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur. Gratias domino qui negligẽtiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit, vt ſaltem ſoliciti quæreremus,

remus, quod ſecuri nunquam noſſe curauimus. Alij dicant, Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus niſi intrarem⁹: nec intraremus niſi cogeremur. Gratias domino qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Hinc iã credimus & illa falſa eſſe, quę authores huius hæreſis criminati ſunt, quando poſteri eorum tam falſa & peiora finxerint. Alij dicãt, Putabamus quidem nihil intereſſe vbi fidẽ Chriſti teneremus: ſed gratias domino qui nos à diuiſione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. His ergo dominicis lucris impediendis, ad contradicendum me opponerem collegis meis, ne in montibus & collibus veſtris, id eſt, in tumoribus ſuperbię ve-

 ſtræ,

ſtræ, Chriſti oues errantes in pacis ouile colligerentur, vbi eſt vnus grex & vnus paſtor? Hæc Auguſtinus. Poſtremorum autem errorem, qui putabant nihil intereſſe vbi fidem Chriſti tenerent, an in parte Donati, an in parte Catholica, multum ſuperat error opinatoris, qui nõ putat ſolum nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneas, an manendo cum Caluino, an cum Luthero, an cum Catholicis: ſed etiam putat nihil intereſſe, an Caluini dogmatis atque Lutheri conſentias, nec ne, modò diuerſum ſentientes etiam toleres.

CAPVT XXIIII. HAEC diximus cauſa declarandi, quòd teneantur omnes expreſſè credere, ea quæ expreſſa ſunt in ſymbolo Apoſtolico. Nũc his adijcimus, quòd ſubtiliora, quę reuera etiam in ſymbolo continentur, ſed latenter tantùm & non expreſſè, non teneantur

tur

tur omnes expreſſè credere aut noſſe. Tamen talis animi debent eſſe omnes, vt cùm eis declaratum fuerit hoſtes fidei eſſe atque religionis, quicunque hæc vel illa ſentiunt, ea dogmata ſtatim anathematizent. Sicuti in veteri lege non tenebantur omnes ſancti noſſe omniũ cæremoniarũ ſignificationes in particulari: debebãt tamen talis eſſe propoſiti, vt ſi ſummus ſacerdos cum ſuis ſocijs declaraſſet, aliquam cæremoniæ interpretationem legi aduerſari, eam omnibus modis auerſarentur. Sicuti cùm templum Gariſim docuit eſſe illegitimum, aut Saduceos legi aduerſari. Sicuti in ciuitate bene inſtituta omnes ciues noſſe debẽt communes leges ciuium, easque obſeruare: nec per ignorantiam in his excuſantur. At non tenentur ſcire quomodo varijs modis ſit reſiſtendum hoſtibus

Digitized by Google

ciuitatis, quomodo magiſtratus & varia reipub. officia illis reſiſtere debeant. Poſtquam tamen per præfectos declaratum eſt eis, quibuſdam concilijs quoſdam aduerſari ciuitati, hæc conſilia omnino auerſari tenentur. Et ſi poſt talem declarationem huiuſmodi conſilijs communicauerint, ſeque ſocios præbuerint, meritò vt hoſtes reipub. ſupplicio ſubijciētur. Quæ ſimilitudo talis æſtimetur, qualis ex humanis ad diuina ſumi poteſt, non quę ex omni parte omnia explicet. Sic ſanè D. Auguſt. lib. 3. de origine animæ ad Vincētium Victorem, qui circa ſubtilia quædam abſurdas conceperat opiniones, cap. 15. ſcribit: Abſit, inquit, vt te arbitreris hæc opinando, à fide Catholica receſſiſſe, quāuis ea fidei ſint aduerſa Catholicæ, ſi coram Deo, cuius in nullius corde oculus fallitur, veraciter

citer te dixiſſe reſipiſcis, non te tibiipſi eſſe credulum, probari ea quæ dixeris poſſe: ac ſtudere te ſemper etiam propriam ſententiam nō tueri, ſi improbabilis detegatur eo quod ſit tibi cordi, proprio damnato iudicio, meliora magis & quæ ſint veriora ſectari. Iſte quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipſa eſt correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus. Imò D. Auguſtinus tolerat in his qui ſimpliciter fidem Catholicam verbis ſibi præſcriptis confitētur, opiniones hæreticas circa præcipua myſteria, modò talis ſint animi, vt ſi ſcirent eas Catholicæ fidei aduerſari, ſtatim eas deteſtarētur & abijcerent. Vnde cap. 16. libr. 4. de bap. contra Donat. Cōſtituamus, inquit, aliquem hoc ſentire de Chriſto quod Photinus opinatus eſt, & in Catholica

lica eccleſia baptizari, exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem, iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. Et lib. 3. de bap. contra Donat. cap. 15. ſub verbis iſtis, id eſt, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales paruuli Eccleſiæ, quibus dicebat Apoſtolus: Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diuerſitates opinionũ fortaſſis, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Nunquid tamen ideo non integrum Sacramentum accipiunt? Aut nũquid ideo ſi profecerint, & opinionũ carnalium vanitatem emẽdauerint, denuo

nuo quod acceperant repetendum eſt? Accipit quiſque ſecũdùm fidem ſuam, ſed quantum capit gubernante illa miſericordia Dei, de qua præſumens idem Apoſtolus dicit : Si quid aliter ſapitis, id quoque vobis Deus reuelabit. Laquei tamen hęreticorum & ſchiſmaticorum propterea carnalibus nimium pernicioſi ſunt, quia ipſe profectus eorum intercluditur, confirmata ſententia vanitatis aduerſus Catholicam veritatem, & cõfirmata animoſitate diſſenſionis aduerſus Catholicam pacem. Hæc Auguſtinus. Qui conſiderans quod præcepta poſitiua, qualia ſunt quæ de Chriſti myſterijs credenda præcipiuntur, non obligant niſi promulgata, iuxta illud : Si nõ veniſſem Ioan. 15.
& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, quodq́ue multi grandium rerum capaces non ſunt, & quandoque

Digitized by Google

que non promulgatur ſufficienter præceptum credendi, reputauit ſimplicibus externa de Chriſto credentibus, quod cõceptus eſt & natus de virgine, crucifixus, mortuus, &c. & verbis etiam maiora cõfitentibus, vt quod Ieſus eſt verus Deus, vnus cum patre & ſpiritu ſancto, etſi hæc non benè concipientibus, multam eſſe coram benigno Deo excuſationem. Attamen nullum hæreticis adhęrentem excuſat, eo quòd dum illis adhæretur, profectus credentis impeditur, confirmata ſententia vanitatis aduerſus Catholicam veritatem, & confirmata animoſitate diſſentionis aduerſus Catholicam pacem. Quorum vtrumque fit non ſolùm eligendo oppoſitam ſententiam, vel noléndo prorſus Eccleſiæ cõmunicare, ſed etiam veram ſententiam in dubium reuocando, & communionem Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ tãquam incertã num recta ſit habendo. Quod diligenter eſt aduertendum. Aliud enim eſt ſimpliciter putare eſſe fidei quod non eſt fidei, aliud ad hoſtes fidei deficere,& propter eos, ſententiam quam noſti eſſe Eccleſiæ reijcere, aut de ea dubitare. Sicut aliud eſt in ciuitate obſeſſa,putare eſſe commodum ciuitati, quod ei noxium eſt, aliud eſt propter hoſtes conſilium quod præfectus iudicat ſalutare ciuitati, iudicare ei eſſe noxium,aut hoc in dubium reuocare. Nulla igitur ad hæreticos quacũque ratione,ſiue de Catholica ſentẽtia dubitando, ſiue eam reijciendo, deficientibus manet excuſatio, dum ſciuerint Catholicam ſiue Eccleſiæ ſententiam.

DEINDE opinator ſubdit votum ſuum : *utinam, inquit, &c.* hæc verba Auguſtini nihil ad rem faciunt : neque

neque de prædeſtinatione quidquã agit, ſed tantummodò explicat Auguſt. ſimplicibus definitiones Conciliorum & doctrinam Catholicam, quam nondũ illi intellexerant. Nullo autem modo iudicat, tolerandos eos eſſe qui ſcienter doctrinam Eccleſiæ reijciunt, vel de ea dubitant. Imò ſicuti contra Creſconium dicit lib.1. cap.31. & ſequen. Quia nec vos Donatiſtæ poteſtis proferre de ſcripturis, ab hæreticis venientẽ denuò baptizatum, nec nos ita ſuſceptum, quantum ad hanc rem attinet, par nobis cauſa eſt. Sequimur ſanè nos in hac re etiam canonicarũ authoritatem certiſſimã ſcripturarum, quum hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum cõmendat authoritas: vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuri-

ſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demõſtrat. Sicut,inquam,hæc Auguſt. ita & dicere poſſumus,eos qui ab eccleſiæ doctrina,poſtquam eis innotuit, etiam ſi ſit de eorum genere quæ expreſſè ſcire non tenentur, recedunt, ſcripturarum ſanctarum non ſequi authoritatem. Imò dicit D. Auguſt. quòd qui de ipſo capite Chriſto ſcripturis ſanctis conſentiunt,& vnitati Eccleſiæ non communicãt, de Chriſti corpore quod eſt eccleſia,ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiũt. Tolerandi autem nullo modo ſunt, qui à Chriſti teſtificatione & ſcripturis, ſcienter & voluntariè recedunt. Cap. autem 1. lib. 1. de prædeſtinat. ſancto. hæc verba habet Auguſt. Cõſideratis literis veſtris, videre mihi videor eos fratres pro quibus geritis

Lib. de vnita. Eccle. cap. 4.

piam curã, ne teneant poëticã ſentẽtiam qua dictum eſt: ſpes ſibi quiſq;: & in illud incurrant quod non poëticè ſed propheticè dictum eſt: Maledictus omnis qui ſpem habet in homine: eo modo eſſe tractandos quo tractauit Apoſtolus quibus ait: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Adhuc quippe in quæſtione caligant de prædeſtinatione ſanctorum: ſed habent vnde ſi quid aliter in ea ſapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, ſi in eo ambulent in quod peruenerũt. Propter quod Apoſtolus cùm dixiſſet: ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamen, inquit, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Peruenerunt autem iſti fratres noſtri, pro quibus ſolicita eſt pia charitas veſtra, vt credant cum eccleſia Chriſti peccato primi hominis obno-

Ierem. 17.

Philipp. 3.

noxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo niſi per iuſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant. Retenta ergo iſta in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in ijs ambulent,& orent eum qui dat intellectum, ſi quid de prædeſtinatione aliter ſapiũt,ipſe illis hoc quoque reuelabit. Hæc Auguſt. Sed his verbis Auguſtinus nihil aliud agit, quàm vt ij qui iam alijs verbis fidem prædeſtinationis receperant, erudirentur ex illis recipere eandem fidem alijs verbis expreſſam, ſub quibus eam negabant.

VIDETVR autẽ huius doctrinæ CAPVT XXVI.

Digitized by Google

ſcriptori author fuiſſe ſuperſtitioſus metus erroris ex graui ignorantia ortus. Cùm enim à Catholicis doctoribus atque ſcriptoribus Catholicis in eccleſia Catholica regulas fidei non didicerit, vnde etiam non vidit quonam ſibi ab errorum tempeſtate fugiendum eſſet, & ab adoleſcentia, vt ſcribit, in dijudicãdis veris & ſuperſtitioſis cultibus, ſe magiſtro vſus fuerit, ac deinde ætate accreſcente, ab Eccleſia transfugas, & apoſtaſiæ ſuaſores diligenter legerit, ac poſtea tandem, iam ſcilicet, tanquam teſta primi liquoris odore, occupatus, ad legendos Catholicos, nõ omnes, ſed quos illi transfugę notabant, eos ſcilicet quos aliqua ſpecie, ſicut ſerpens calcaneũ, rationabiliter mordere videbantur, acceſſerit; quomodò quæſo potuit perdiſcere Catholica dogmata? Vnde meticuloſus factus, ne

Folio 4. libri opinatoris.

fortè

Digitized by Google

fortè Catholici, quos ſibi ſimiles reputabat, temeritate magis quàm recto iudicio, hæreſeôs aliqua dogmata notarent, reputauit pietatem eſſe fluctuare, & neutri parti accedere. ex qua ſtulta pietate etiam eorum ſententia oritur, qui hæreticos nolunt puniri, aut, cùm hoc reipublicę expedierit, occidi. Impium enim eſt eos punire, quos neſcis eſſe noxios. Noxios autem ex imperitia dogmatum Chriſtianorum iudicare nō audent; quia nec eorum dogmata, hæretica eſſe iudicare audent. Huic ſuperſtitioſo metui ex ignorātia orto, & alia cauſa acceſſiſſe videtur, quod priuatis quorundam Catholicorum abuſibus, ſiue circa doctrinam, ſiue circa cultum Dei atque cæremonias, ſiue in vitæ conuerſatione, ita offenſus videtur, vt reputarit ſocietatem in qua illi erant, non eſſe eccleſiam Chriſti,

pluſquam ſocietatem Lutheranorū & ſimilium. Aduerſus quod ſcandalum, nō ſolum Prophetarum doctrina & conuerſatio, ſed & euangelium multis modis nos muniuit: idq́ue, vt melius intelligeremus, parabolas ex rebus craſſis & omnibus notis, deſumptis; vt eſt parabola areæ continentis paleam tritico commixtam;
Matth.3. Idem cap.13 ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium tam malorum quàm bonorum congreganti; agri in quo ſimul vſque ad meſſem creſcunt zizania cum tritico; ſeminis cadentis nō ſolùm in terram bonā, ſed & in viam & ſuper petram, & inter ſpinas; nu-
Matth.22. ptialis conuiuij, in quo etiam deprehenditur aſſidere menſæ is, qui non
Idem ca.25. habet veſtem nuptialem; decem virginum, quarum quinque erāt fatuę; ſeruorum quorum quidam erāt nequam & inutiles, lucris dominicis

non

non ſtudentes; gregis in quo erant oues commixti hœdis: denique vitis in qua quidam palmites fructum ferunt, quidam infrugiferi ſunt, & abſciſſi in ignem proijciũtur. Pulchrè ex Cypriano D. Auguſtinus: Etſi, inquit, videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.

Ioan. 15.

Lib. 2. retract. cap. 28.

CAPVT XXVII.

NVNC etiam cauſa aſſignanda eſt, cur hîc author ſuam hanc vanam ſententiam publicare ſit auſus. Sed ea valdè manifeſta erit, ſi intelligatur cauſa cur multis plauſibilis videatur hæc opinio. Procliue eſt enim promere quod multis vides futurũ gratum, præcipuè ſi eo loci degas (ſicut hic author dicitur) vbi aliquãtulum vel deficiente vel nutante fidei Chriſtianæ ſtabilitate, & eius conſeruan-

dæ ſeuera diſciplina, liberum eſt atque impune, & ſentire & confiteri de religione, quodcunque libuerit, aut ſaltem quædã fidei diſſonantia. Cauſæ autem multæ ſunt, cur hæc vana ſententia multis placeat, aut placitura ſperetur, ſiue metuatur. Prima, quòd multi ſint ſimiles huic authori, qui dogmata Chriſtianę religionis exactè non didicerunt, & ſuis ſuperioribus ſimpliciter credere nolunt: ideoq́ue temerarium putant multa dogmata notare hæreſeôs. Similiter quoque priuatis quorũdam Catholicorum abuſibus offenduntur. Et quia aliquam religionem ſaltem in genere adhuc ſeruare volunt, ſuperſtitioſè iudicium ſuum circa multa credenda ſuſpendunt, ne fortè temerè quid ſuſcipiant pro dogmate fidei quod ad eã nõ pertinet. Secũda cauſa, quia multis placet in omnibus rebus

bus

bus facilitas,& quod carni ſuaue eſt, vnde ingenium ſuum captare volũt, in multos articulos credendos. Et multi detrectant Catholicam religionem, quia ieiunia, votorum obſeruatio & caſtitas maior ab aliquibus in ea exigitur. Vnde ſimilis in aliquo videtur iſta noua ſententia Mahumetiſmo, qui pauca credenda de Deo exigit, multam carnis licentiam permittit: & hac ratione à pluribus eſt ſuſceptus. Tertia cauſa eſt, quod hęc noua ſententia fraudulenter ita proponitur, veluti diſſidium, verbi gratia, inter Caluiniſtas & Lutheranos atque Papiſtas (hos enim tres nominat) ſit tantùm opinionum humanarum, aut rituum humanorum diuerſitas. Clarum eſt autem quòd diuerſitas opinionum in rebus incertis, vnitatem religionis non aufert, ſicuti nec rituum quorundam

Digitized by Google

varietas. Atque hæc eſt antiqua hæreticorum conſuetudo, ſuum virus extenuare. ſicuti patet ex Arrianis, qui dicebant de voce vna (homouſios) non de re ſibi cum Catholicis eſſe diſſidium, vt ex hiſtoria Ariminenſis ſynodi manifeſtũ eſt. Sic Cæleſtius negans originale peccatum, dicebat rem eſſe quæſtionis non hæręſis; vt meminit Auguſtinus lib. 2. de peccato original.cap.22. & 23.

CAPVT XXVIII. Matth.26. SED libet interrogare huius ſententiæ authorem; num quòd corpus Domini propriè ac veraciter fuerit id quod Chriſtus Apoſtolis corporaliter edendum in poſtrema cœna dedit, opinionis tantum res ſit, non Chriſtianæ fidei: an opinionis tantum eſt,& nõ fidei vel hæreſis,quod Lutherus dicit fidem ſpecialem iuſtificare, & Deum remittere peccatũ in quo fidelis perſeuerat, quodq́ue in

Digitized by Google

in eo permanet, ſiue id quod homo in ſe odit, & tamen non ipſe, ſed peccatum in eo operatur, eſſe dignum dãnatione, & tamen à Deo, qui ſecũdum veritatem iudicat, nõ damnari? Certè author, vel idem, vt ego arbitror, vel ſimilis ſententiæ (nomen enim illud; *Veranius Modeſtus Pacimontanus*, reputo fictum, tanquam veritatem modeſtè quęrat ad pacem obtinendam) fol. 98. libri defenſorij, inter opiniones, fide non retinẽdas, refert illã ſententiam; Paruulos non baptizatos hinc migrantes, non pertinere ad regnum Dei, etiam ſi parentes deſiderẽt eis baptiſmum, nec obtinere queant; negligens illud Domini ſaluatoris: Niſi quis renatus Ioan. 3.
fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: & concilia illa in quibus Pelagius hæreſeos damnatus eſt, quia nõ bapti-

zatis

zatis infantibus tribuit vitam æternam. Definitionem quoque Innocentij & Zozimi põtificum, & totius Eccleſiæ conſuetudinem & conſenſum, nolentis infantes fidelium non baptizatos ſepeliri cum Chriſtianis, ſpem glorioſæ reſurrectionis habentibus. Item inter opiniones refert, an præcepta poſitiua Eccleſiæ obligent conſcientiam, cùm ſciat Aerium ob hoc relatum inter hæreticos ab antiquo, quia id negabat; & Apoſtolus ita mãdet Hebræis obedire præpoſitis Eccleſiaſticis, ſicut Romanis principibus ſecularibus. Imò apud Corinthios ſua poſitiua præcepta vocat Domini mandata. Ecce quomodo opinionum nomine graues errores extenuet. Quædam quoque ſuſcipienda pio viro dicit, ſed an fide, an opinione tantùm, reticet. ideoq; putari poſſet ea à fide ſecludere. inter quæ

Hebr. 13.

.Cor. 14.

Digitized by Google

quæ ponit illud: Animas beatas corporibus ſolutas, ſtatim diuina viſione frui. Quod eſt definitum à concilio Florẽtino, ex claro Apoſtoli loco 2. ad Corinth. 5. Scientes quoniã dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad dominum. Sicut & illud; Animas ſtatim æternis ſupplicijs vel gaudijs adiudicari. Id quod ſimiliter ex Florentino concilio, & euãgelio de immiſericorde diuite & Lazaro, & illo Apoſtoli; recipiet vnuſquiſque propria corporis prout geſſit; & illo: lignũ vbi ceciderit, ſiue ad Aquilonem, ſiue ad Auſtrum, ibi erit, rectè ſtatuitur. Iuxta illud Auguſtini lib. 2. De origine animæ cap. 41. Nam illud (ait) quod rectiſſi-

2. Corint

Luc. 16.

Eccle. 11

Digitized by Google

ctiſſimè & valde ſalubriter credit, iudicari animas cũ de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque in ipſa qua hîc vixerunt carne torqueri ſiue gloriari, hòc itáne tandem ipſe neſciebas? Quis aduerſus euangelium tanta obſtinatione mẽtis obſurduit, vt in illo paupere, qui poſt mortem oblatus eſt in ſinum Abrahę, & in illo diuite cuius infernus cruciatus exponitur, iſta non audiat, vel audita non credat? Sic & illud inter iſta refert; Angelos & beatorum hominum ſpiritus pro nobis orare. cùm tamen ex 1. cap. Zachariæ, & vltimo 2. Machab. & totius Eccleſię conſuetudine, vtrumque ſtatuatur.

CAPVT XXIX. VINCENTIVS Lyrinenſis doctiſſimè atque veriſſimè tradit, quòd patribus hac lege credendum eſt, vt quid-

Digitized by Google

quicquid vel omnes vel plures, vno eodemq́ue ſenſu, manifeſtè, frequẽter, perſeueranter, velut quodam cõſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint; id pro indubitato, certo ratoq́ue habeatur: quicquid verò quãuis ille ſanctus & doctus, quamuis epiſcopus, quamuis cõfeſſor & martyr, præter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas, à communis, publicę ac generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit: nec cum ſummo æternę ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorũ & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſà, vnius hominis nouitium ſectemur errorẽ. Hæc, inquam, Vincentius dilucidè atque rectiſſimè tradit. Et tamen nouitius hic opinator, vt opinionẽ eſſe ſta-

ſtatuat, quod certa fide recipere debebat, ſæpe vnius atque alterius doctoris ſententiæ nititur contra omnes reliquos: nempe Gerſoné atque Caietanum adducit, ne certum habeatur, quod infantes ante baptiſmum, etiam ſi parentes antè pro eorum ſalute orauerint, excludantur à regno Dei. Similiter Gerſonis ſententiam ſequitur, vt opinionis, non certitudinis declaret eſſe illud dogma; Leges Eccleſiaſticæ ligant hominem in conſcientia, hoc eſt, ita obligant, vt ſi quis eas tranſgrediatur, in conſcientia quam ſolus Deus videt, & coram Deo reus ſit præcepti tranſgreſſi. Simili modo vt oſtendat grandes abuſus ſub Papa irrepſiſſe, non ſolùm apud vulgus imperitum, ſed etiam apud doctos, vnius Gabrielis imprudens dictum citat.

HOMINVM, inquit, *ſuperſtitio*, *hos*

hos limites paulatim exceſsit. Tantũ enim hæc ſanctorum interpellatio excreuit, præſertim virginis matris, vt aduocati & mediatoris officium propemodum obſcurârit. Maiore enim ſtudio & pleniore fiducia plerique matris & aliorũ ſanctorum, quos ſibi patronos & aduocatos delegerunt, nonnunquam etiam obſcurorum & incertorum, quàm ipſius Chriſti patrocinio & interceſſioni ſe commendârunt, ac proprios Chriſti, tanquam iam aduocati & interceſſoris officio defuncti, titulos, ad matrem tanquã potiorem vel certè leniorem & mitiorem tranſtulerunt. Neque id à vulgo tantùm imperito factitatum eſt, ſed etiam doctorum Theologorum ſcriptis, & concionibus comprobatum. An nõ apertè ſcribit Gabriel biel, vir alioqui non indoctus nec ineptus, patrem cæleſtem dimidium regni ſui dediſſe beatiſſimæ virgini cælorum reginæ, idque in Eſter ſignificatũ fuiſſe, cui dictum ſit ab Aſſuero: etiam ſi

G *dimi-*

Digitized by Google

dimidium regni mei petieris dabitur tibi: ita patrem cæleſtem cum habeat iuſtitiam & miſericordiam tanquã potiora regni ſui bona, iuſtitia ſibi retẽta, miſericordiã virgini Matri cõceſſiſſe. Eandem ſententiã ab inſigni quodam Theologo publicè aliquando pro concione Lutetiæ Pariſiorum proponi audiui. Eadem in vrbe cùm adoleſcens quidam ad ſupplicium illud exquiſitum & horrendum fidei nomine duceretur; ac palo inſpecto ſubinde exclamaret; domine Deus habe miſerationem mei, magni quidam nominis Theologus mulæ inſidens, identidem increpantis voce & geſtu occlamauit; dic, inquit, Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, &c.

NVNQVID quæſo probat doctorum ſcriptis & concionibus comprobatum abuſum, quia vnum doctorum Theologorum ſcholaſticorum ad hoc affert, aut quia vnum Theologum ſe audiſſe ſic concionãtem

tem dicit, & alium, in cuius verbis nihil niſi bonũ & ſolidum erat, ipſe ſic interpretatur? Subdit deinde hic nouus opinator.

HAEC *& ſimilia plura proferri poſſint: vt quòd nonnullis in locis in precibus Eccleſiaſticis canitur: Ora patrem, & iube filio. Item: O felix puerpera, noſtra pians ſcelera, iure matris impera redemptori. Hæc vt colorem aliquem inuenire poſſint, eiuſmodi tamen ſunt, vt pias aures non immerito offendant: & ab optimis quibuſque & minimè ſuperſtitioſis improbantur. Quin etiam publicè ab ijs, quorum ad officium hoc ſpectat, corrigenda: ac ſanctorum, & in primis virginis matris ita veneratio commendanda, ne Chriſti ſeruatoris noſtri honori aliquid derogetur.*

VT fatemur ineptas cantilenas, & ſequentias (vt vocant) ab epiſcopis, in ſuis diœceſibus abolendas: ita ne-

quaquam ob priuatos hos indoctorum quorũdam abuſus quibuſdam in locis ortos, concedimus dicẽdum eſſe apud vulgus Catholicum atque doctos, per cultum virginis matris, obſcuratam fuiſſe gloriam Chriſti mediatoris. ſicut nulla ratione dicitur rectè in ciuitatibus & pagis matrimonij iura non cuſtodiri, quia in multis ciuitatibus & pagis adulteria committuntur. Neque enim quorundam priuata vitia communitatem iuſtè infamare poſſunt. ſed dicendum erat in quibuſdam ciuitatibus atque pagis quoſdam matrimonij iura violare. Quod vtique veriſſimum eſt. Beatus qui non in priuatas quorũdam hominum vanitates, neglecta, aut minùs conſiderata, ſplendida & publicè lucẽte Eccleſiæ luce reſpexerit. Sed in negotio doctrinæ quidam ita iudicant, ſicut in mo-

morum negotio quoſdá malos iudicare de Eccleſiaſticis dicit Auguſt. Epiſt.137. Ad quid (inquit) aliud, ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sáctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? & tamen ipſi cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus qui ſanctum nomen profitétur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtát, ſatagunt, ambiũt vt de omnibus hoc credatur.

POSTREMO, cauſa cur multi huius vanitate ſententiæ delectentur, eſt, quia videtur plurimos homines ad ſalutem æternam perducere, quos Catholica eccleſia ab ea in perpetuum alienos eſſe iudicat. Ná con- CAPVT XXX.

Digitized by Google

ſentientes Luthero atque Caluino, modò animum amicum etiam erga Papiſtas & reliquos gerāt,& de Chriſto capite rectè ſentiant,membra Eccleſiæ Chriſti Catholicæ facit. At ſi diligentius res expendatur, & quod ſatis apertè ſignificat aduertatur,hęc ſententia ad maximam paucitatem redigit ſaluādos, & Eccleſiam Chriſti tantum non extinctam docet: ita vt grauiſſima irrogetur Chriſto iniuria, dum tam pauci atque tam obſcuri, ſaluari per eum docentur: cōtra ſcripturam, quæ prædicit Eccleſiam ponendam in ſuperbiam ſeculorum,gaudium in generationem & generationē. Sic igitur dicit fol. 26.

Iſa. 60.

EXTANT *hodie potiſſimum duo hominum genera: quorum alteri, quod Eccleſiam non paucis maculis reſperſam, & paulatim cōtractis vitijs deformatam vident, omnem eius ſtatum labefactatum &*

conuul-

conuulſum cupiunt: & dogmata Lutheri, non quæ ſanior adhuc & tranquillior, ſed poſtea bullæ impetu perculſus, irritatior & commotior aſſeruit, quouis modò confirmanda & defendenda ducunt. Id quod à ſuis ſectatoribus (quos habet nec pauciores nec obſcuriores) Caluino quoq; accidit, quos fortaſſis rectè Anticatholicos & Lutheranos ſeu Caluinianos appelles. Sunt alij ex aduerſo, qui quod non pauca ex ipſa antiquitate adhuc apud ſe reliqua vident, præſentem Eccleſiæ ſtatum, quamuis corruptum, & paulatim ſubortis abuſibus contaminatum, omnino tamen ſuo loco manere volunt, neque quidquam quamuis id veterum decretis conſentaneè fieri poſſit, immutari patiuntur: Pōtificem verò Romanum, quem Papam dicimus, tantùm non Deum faciunt: eiusq́ue authoritatem non modò ſupra totam Eccleſiam, ſed ſupra ipſam ſcripturam efferunt: & ſententiam eius diuinis oraculis parem, imò in-

fallibilem fidei regulam conſtituunt: hos non video cur minus pſeudocatholicos ſeu Papiſtas appellare poſſis. Inter hos qui maximè hodie in Eccleſia eminent, tertium quoddam genus hominum, quamuis ferè occultum & obſcurum, reperitur: qui cùm in alterutra parte verſari cogantur, tamen nulli parti ex animo addicti, quidquid vtrobique rectum & catholicæ fidei & obſeruationi conſentaneum eſt amplectentes: quæ verò his contraria, & modū mediumq́ue (vt in contentionibus fit) excedentia deprehēduntur declinantes, veram, ſynceram & diuinis literis, Catholicæq́ue Eccleſiæ traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus votis exoptant: & ad eam conciliandam omnem ſuam operam & ſtudium conferre parati ſunt. Atque hoc animo ſi plures in vtraque parte præditi ſint, faciliùs & citiùs pax futura & concordia coitura ſit. Nam niſi talium hominum conſilium valeat, nulla

conci-

conciliationis ſpes eſt, & tales ſi audiantur, de pacificatione deſperandum nõ erit. Sed, proh dolor, in vtraque parte plures, ijſque potẽtiores, ita animo comparati videntur, vt hoſtilem animum in ſe mutuò induerint: & cùm pacem vtrinque optare videantur, eam pacem volunt, non quæ vtraque parte ſalua, mutua conciliatione & cõfœderatione conſtet, ſed quæ cum alterius & aduerſæ partis oppreſſione & deletione coniuncta ſit.

ECCE author ipſe fatetur, tertiũ genus hominũ quod ſolùm in Chriſti eccleſia ponit, eſſe ferè occultum & obſcurũ: & in vtraque parte plures & potentiores eſſe, qui pacem vtraque parte ſalua nolunt. Et ſanè veriſſimum eſt quod ait, paucos & obſcuros eſſe, qui vtraque parte, & noſtra ſcilicet, quam ipſe vocat Papiſticam, & Lutherana atque Caluiniana, ſalua, pacem inire volunt: tum quia

hactenus reputatum eſt impoſſibile conciliare partes de religione diſſidentes, vtriuſque partis ſentētia ſal-
Corinth. 6 ua, iuxta illud: Quæ conuētio Chriſto ad Belial? donec nouus hic doctor nouum concilium, contra Apoſtoli ſententiam adinuenit. Clarum eſt autem paucos atque obſcuros & ferè deliros homines, aggredi id quod omnium aut ferè omnium ſententia iudicat impoſſibile. Secundò ſic comparati ſunt homines, vt ferè omnes religionem ab hominibus di-
oma.10. ſcant, iuxta illud; Fides ex auditu. Traditur autem vbique fides, non ab iſtis nugatorijs pacificatoribus, ſed ab ijs qui, ſicut ipſe nouus doctor loquitur, hoſtilem animum in diuerſam partem induerunt. Quare quicunque ab his diſcunt, præceptoribus ſimiles euadunt, & ipſi etiam hoſtilem animum induunt, exceptis

paucis

Digitized by Google

paucis obſcuris & prętermorem hominum, furtim ad obſcuros pacatores iſtos currentibus,& ab ijs diſcentibus. Quod cùm nō ab infantia ſed iam adulti faciunt, relinquitur ſecūdùm iſtum nouitium doctorem,neminem eſſe de nugatorijs pacatoribus,vel ijs adhærere, niſi antè genua ſua flexerit doctrinæ hæreticę,vel incertæ tanquam certæ. Et ſic conſequenter ſecundum eum quotquot ſunt in eccleſia Chriſti,genua ſua antè curuauerunt altari quàm Chriſto. contra illud quod non ſolum Helię: 3.Reg.19. ſed & Pauli tempore, & pari ratione Roma.11. omni tempore locum habet: Reliqui mihi plus quàm ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Huc accedit quòd hi obſcuri pacatores non emineant,nec paſtorum & doctorum officium in vlla Eccleſia obeant. Quare qui eis

adhæ-

adhærent, eccleſia Chriſti eſſe nequeunt, cùm Apoſtolus teſtetur corpus Chriſti habere doctores & paſtores ad conſummationem ſanctorum, donec occurramus omnes in vnitaté fidei, & agnitionis filij Dei, hoc eſt, vſque ad ſeculi finem. Vnde rectè Hieronymus contra Luciferia. Hilarius (inquit) cùm diaconus de Eccleſia receſſerit, ſolusq́ue vt putat, turba ſit mũdi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, epiſcopos & preſbyteros non habẽs: neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere. Et cùm iam homo mortuus ſit, cum homine pariter interijt & ſecta, quia poſt ſe nullum clericum diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ nõ habet ſacerdotẽ. Sed fortaſſe ad hæc poſtrema reſpondere conabitur opinator, iam quidem paucos eſſe de eccleſia Chriſti: cæterum ſe ſperare, per hanc

he.4.

Digitized by Google

hanc doctrinam plurimos fore, qui hoſtilem in partes animum ſint depoſituri, & in his articulis religionis in quibus & Catholici & hæretici conueniant acquieturos, & tandem ex his etiam paſtores in vtraque parte futuros, atque ita facili negotio plurimos futuros, qui ſint Eccleſiæ membra, ſaluandorum numero aggregata. Quòd ſi hoc reſponderit, manifeſtum eſt eum nouam quæ nunc non extet meditari eccleſiam Chriſti, ſeu potiùs diaboli, vt ſuprà annotauimus, & contradicet ſibiipſi, dicenti fol. 26.

NEQVE *verò ita partium ſtudium vitandum puto, vt vtraque parte improbata, nouam quandam & neutralem (quam vocant) ſectam introducere videaris, &c.*

SED aduerte lector, quod diuiſio quam attulit hic nouus doctor, non CAPVT XXXI.

eſt, (vt Dialectici loquuntur) ſuffi-
ciens: ideoque multi erroris eſt cau-
ſa. Eſt enim quoddam genus homi-
num quod neque cum Lutherana
neque cum Caluiniana parte ſalua
manente,pacem inire vult. Et omnes
abuſus atque contaminationes quæ
ſub Papa irrepſerunt,tolli deſiderat,
& pontificem Romanum non facit
ferè Deum,ſed hominem quandoq;
etiam reprehenſibilem eſſe agnoſcit,
nec eius authoritatem ſupra totam
diuinam ſcripturam effert, nec qua-
lemcunque eius ſententiam quali-
tercunque prolatam infallibilem fi-
dei regulam conſtituit, ſed tantùm
miniſterium ei in S. Petro Apoſtolo
tributum,iuxta ſanctas ſcripturas &
conſenſum ſanctorum patrũ agno-
ſcit & veneratur,confitens eum,om-
Ioan.21. nium ouium Chriſti eſſe paſtorẽ &
Luc.22. rectorem,Chriſtumque pro eo oraſſe
cùm

cùm Sathanas nomen Chriſti conaretur eradere de terra viuentium in perpetuum, ne fides eius deficeret, ſed indefectibili fide fratres ſuos cõfirmaret. Ecce, hoc eſt quartum genus hominum, quod omnino prętererijt nouus hic doctor, quod illuſtriſſimum eſt in eccleſia Catholica: cui ſi adhærerent omnes, non eſſet opus excogitatione noui & ignoti portus nuſquam exiſtentis, pro vitandis hęreticis procellis.

NOLVMVS nũc hic notare quod opinator cõtra Eſaiam & Matthęum atque Paulum eccleſiã Chriſti ignotam & hominibus inacceſſam conſtituit. Hoc enim in noſtra ſymboli expoſitione eſt confutatum. ſicut & illud oſtenſum eſt, non verè credere Chriſti eccleſiã, qui eam conſtituunt eccleſiam, quæ reuera non eſt Chriſti eccleſia, ſiue de qua Chriſtus in parti-

CAPVT XXXII.
Eſa. 2. & 60.
1. Timoth. 3
Matth. 18.
cap. 62.

Digitized by Google

particulari non eſt locutus. Nã quod fol.14. veram Chriſti eccleſiam conſtituit, in electorum multitudine, vt Huſiticum & contrarium ſcripturæ, dicenti multos electos in ouile Chriſti nondum adductos, ſed adducendos eſſe, imò multos electos aut nõdum natos, aut Eccleſiam iam deſtruere, & ab ea per hæreſes & ſchiſmata eſſe diuiſos, præterimus.

Ioan. 10. & 11.

CAPVT XXXIII.

HOC adijcimus, hos mediatores, qui neque Catholicos audent penitus approbare, nec hæreticos, neque tamen audent eos penitus reijcere, ſimiles eſſe Caſſiano, qui neque mendacium penitus approbare, nec penitus reprobare audebat. ſimiliter neque dogmata Catholica contra Pelagium hęreticum ab Eccleſia definita, neque Pelagij ſententias penitus approbare aut reprobare audebat, ſed inter vtrunque medius volebat

Digitized by Google

lebat incedere, quædam probando, quædam improbando. Vnde pulchrè contra eum Proſper: (cuius verba & contra iſtos nugatorios pacatores poſſumus adaptare.) Duos (inquit, contrarios ſibi definis errores, quibus qui inter liberum arbitrium & gratiam, quid tenendum ſit neſciunt, implicentur. Et in vno conſtituis eos qui dicunt, ideo noſtri miſereri Deum, quia ex nobis præbita ſunt bonæ initia voluntatis, ſignificans ſine dubio Pelagiani dogmatis ſectatores, qui dicunt gratiam Dei dari ſecundùm merita noſtra: in alio autem illos ponis, qui dicunt ex miſericordia Dei bonarum volũtatum prodire principia, eos intelligi volẽs qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergo error eſt, initia bonæ voluntatis non adiuto diuinitus homini aſſcribere, & error eſt, confiteri, quoniam cap.9.

præparatur voluntas à Domino, quo dirigendi ſumus, vt vtrunque vitemus? Si vtrũque, inquis, ſequamur, nos nulli errori acquieſcimus. Tu nos ſubdis duobus, & geminas, ſicut intelligis, prauitates, diuidẽdo damnas, miſcendo iuſtificas. Hac lege ac regula poteris prædicare, quod tam errent qui dicunt, ſemper eſſe fallendum, quàm qui definiũt, nunquam eſſe fallendũ; ſed vt in neutro peccetur, vtrunque ſectandum: quia nec ſemper declinanda falſitas, nec ſemper negligenda ſit veritas. Fallit te prorſus opinio tua: de duobus malis vnum fieri bonum nõ poteſt: vnam virtutem, duo vitia non gignunt: vnum verum duo falſa non faciunt. Quæ enim paria ſunt meritò, nõ minuuntur coeundo, ſed creſcunt. Non itaque oportuit eos qui bonarum voluntatum initia ex Dei aſſerunt

inſpi-

Digitized by Google

inſpiratione generari, ea ſentẽtia reprehendi, qua arguuntur qui ad hęc liberum arbitrium putant ſibi ſine ope gratiæ poſſe ſufficere. Harum enim definitionum vna ab Eccleſia expugnata eſt, alia defenſa. Nec eis vllo modo huius noui fœderis congruit pactum, quo Catholica ſit corruptior, quàm Pelagiana correctior. Multi, inquis, ſingula hæc credentes ac iuſto amplius aſſerentes, varijs, ſibique contrarijs, ſunt erroribus inuoluti. Placet igitur tibi cum hæreticis Catholicos, cum victis damnare victores, & eos erroris nota adurere, qui errorem ab Eccleſia depulerunt, &c. Et infrà: Cùm de ſanctarum, inquit, origine volũtatum, & fidei charitatisq́; principijs, inter nos & Pelagianos quæſtio verſaretur, non ancipiti victoria, nec dubio diremptum eſt fine certamen: vt adhuc nobis de cap. 11.

iniquiſſima huius fœderis tui pace tractandum ſit. Proſtrata eſt inimica acies, bellum confractum eſt, victores ſumus per illum qui fecit potentiam in brachio ſuo, qui diſſipauit ſuperbos mente cordis ipſorum: depoſuit potentes de ſede & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Per illũ qui faciens miſericordiam cum patribus noſtris, memor fuit teſtamenti ſancti ſui & iuſiurandi quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ipſi in ſanctitate & iuſtitia in conſpectu eius omnibus diebus noſtris. Per illum qui dedit nobis victoriam, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Per illum à quo non ſpiritum huius mũdi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quę

Luc. 1.

1. Cor. 15.

1. Corint. 2.

à Deo

Digitized by Google

à Deo donata ſunt nobis. Quid de eliſarum argumentationum ratiunculis, fracta ſtudes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refouendo, deficientis fumi nidorem in rediuiuam flammam conaris accendere? Et rurſus: Videamus quid inferat ſobrietas diſputantis, qui vt vitium vitio pelleret, & errorem errore curaret, contrarias ſibi definitiones noua arte cõfudit: vtque hoc compoſitionis ſuæ poculum ſecuris auditoribus propinaret, exemplis voluit colorare quod miſcuit: & cętera. cap. 13.

POSSVMVS quoque his dubijs hominibus, & Eccleſiam veram quæ fidiſſimus portus eſt ignorantibus, illud dicere quod D. Ambroſius gentilibus, quorum nomine cultum idolorum repetebat à Valentiniano imperatore Symmachus vrbis pręfectus reſpondit: Quomodo (inquit) CAPVT XXXIIII. Ep. 31.

H 3 poſſum

poſſum vobis credere qui fatemini vos ignorare quod colitis? Vno (inquit) itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretũ. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognouimus: & quod vos ſuſpicionibus quæritis, nos ex ipſa ſapientia Dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur veſtra nobiſcum. Sicut enim gentiles vnum ignorabant Deum, ideoq́ue diuerſorum deorum cultibus ad tam grande, vt loquitur Symmachus, nitebãtur venire ſecretum: ita hi veram ignorãt Eccleſiam & fidem, ideoq́ue & Lutheranis & Caluini & aliorum ſchiſmaticorum doctrinis ſuſceptis, putant homines poſſe peruenire ad ſalutem. Contra eundem Symmachum ſcribens Prudentius, vnica tãtùm via, eaq́ue ſimplici ad Deum perueniri oſtendit, ſicuti & nos vnica fide, & in vnica Eccleſia

Digitized by Google

cleſia Deum rectè coli docemus. Sic dicit ex perſona Symmachi gentilium legati:

Secretum ſed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quàm ſi ſparſis via multiplicetur
Tramitibus, & centenos terat orbita calles,
Quæſitura Deum variata indage latentem.

Ac deinde ex ſua perſona reſpondet:

Longè aliud verũ eſt. Nã multa ambago viarũ
Anfractus dubios habet, & perplexius errat.
Sola errore caret ſimplex via, neſcia flecti
In diuerticulum, biuijs nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Quum dubitant, quonã ferat ignorãtia greſſum.
Altera multifida eſt: at ſimplex altera et vna
Vna Deum ſequitur, diuos colit altera plures.
Et tot ſunt eius diuortia, quot templorum
Signa, quot aërijs volitant phantaſmata mõſtris.

Et infrà:

Simplicis ergo viæ dux eſt Deus, ille per vnam
Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipſe
Sublimem dextro celſam ad faſtigia cliuo.
Prima viæ facies inculta, ſubhorrida, triſtis,
Difficilis, ſed fine ſui pulcherrima, & amplis
Prædita diuitijs, & abundans luce perenni,

Et quæ præteritos poſſit penſare labores.
Multiplici dæmon ſed adeſt, qui morte ſiniſter
Centifidum confundit iter, trahit inde ſophiſtas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes
Illicit, & volucrum linguis & aruſpice fallit.
Inſtigat bacchantis anus, ambage ſybillæ,
In magicas artes trahit, inuoluitque matheſin,
Omine ſollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis vt vna via eſt multis anfractibus errãs
Talem paſſa ducem, qui non ſinat ire ſalutis
Ad dominũ, ſed mortis iter per deuia monſtrat?
Deuia picta bonis breuibus, ſed fine ſub ipſo
Triſtia, & in ſubitã præceps immerſa charybdin.
Ite procul gentes, conſortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei, diſcedite longè
Et veſtrum penetrate chaos, quò vos vocat ille
Præuius infernæ perplexa per auia noctis.
At nobis vitæ dominum quærentibus, vnum
Dux iter eſt, & clara dies, & gratia ſimplex.
Spem ſequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris;
Ad quæ non veniunt, præſentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta & capiẽda voluptas.

NEC mireris lector, nos quadam ratione hanc ſententiam, quæ varia & contraria ſibi de religione dogmata ſu-

Digitized by Google

ta ſuſcipientibus, ſpem æternæ ſalutis facit, aliqua ratione comparare gentiliſmo, varios deos colenti, aut quod æquiualet, deum eſſe neganti. Similes enim ſolent eſſe gradus quibus in plenas tenebras atque lacus deſcenditur, etſi inferior obſcurior eſt ſuperiore, & infimus obſcuriſſimus.

CAPUT XXXV.

Nos igitur ad veram pietatem atque religionem tria requirimus, nempe cognitionem Dei creatoris omnium, cognitionem redemptoris, mediatoris Dei & hominum, & cognitionem domus Dei viui, cuius fundamentum atque angularis lapis eſt Chriſtus Ieſus, quæ corpus eſt Chriſti, & ſponſa atque vxor, quam ſpiritus ſanctus inhabitat atque ſanctificat, quam mediator Deo conciliat. Si igitur quælibet hæreſis ab Eccleſia ſeparat, & eius lucem offuſcare

Ephe. 2. Ibidem 5.

nititur, & quadam ratione latenter Eccleſiam denegat: quanto magis hæc opinio, quæ veræ eccleſiæ Chriſti cognitionem ad pietatem tanquã neceſſariam non requirit, ſed abundè ad pietatem requiſita in ijs quæ ab Eccleſia vera Chriſti ſe ſeparârũt, & per graues errores diſſentiunt, inueniri dicit? Ecce hic eſt primus impietatis gradus, tollens nobis penitus in veritate tertiam ſymboli Apoſtolici partem, in qua pietas conſummatur: quæ impietas rectè ἐκκλησιαντιςασία vel Eccleſiandimachia, Eccleſiaduerſatio nuncupetur. Hinc gradus fit ad tollendam ſecundam partem ſymboli, qua cognoſcitur Chriſtus. Hæc impietas in Arrianis, Neſtorianis, Pelagianis & ſimilibus peſtibus inchoata, in Mahumetiſmo conſummatur, quæ ob hoc rectiſſimè antichriſtianiſmus per antonomaſiam

maſiam appellari poteſt. in qua docetur ita cognitio vnius Dei etiam ſine Chriſti cognitione ad ſalutem ſufficere, ſicuti opinator docet, Chriſti notitiam ſine veræ Eccleſiæ eius cognitione, ſatis materiæ pietatis exercendæ ſuppeditare. A Mahumetiſmo verò qui vnius Dei conditoris rerum notitiam exigit, deſcenditur profundius ad gentiliſmum, quo coluntur multi dij, vel quod ei ferè æquiualet, dicitur inſipienter & impiè; non eſt Deus. quæ impietas atheiſmus vocatur. Ecce tres gradus conſummatæ impietatis. Primus dicit: Non requiritur ad pietatem cognitio eccleſię Chriſti: Secundus dicit; Non requiritur ad pietatem cognitio Chriſti. Tertius dicit; Non eſt Deus: Rectè ergo primum gradum ſecundo & tertio ſimilem eſſe dicimus. At dicas.

Digitized by Google

CAPVT XXXVI. OPINATOR requirit amorem eccleſiæ Chriſti ad pietatem: Igitur non rectè dicitur Eccleſiæ cognitionem non requirere ad pietatem. Reſpondeo, opinatorem in genere quidem requirere vt Eccleſia Chriſti, quæ Chriſtum cognoſcit recipiatur; cæterùm in particulari, neſcire quænam ſit, an apud Græcos, an apud Papiſtas, an apud Lutherum, aut Caluinum. Imò dum apud his adhærentes, & in grauiſſimis religionis articulis inter ſe opinione diſſidentes eam ponit, oſtendit ſe eam non nouiſſe. Quia cùm vna ſit, apud diuerſa de graui materia religionis opinantes conſiſtere nequit. Si autem eam non cognoſcit, nequaquam eam credit, ſicuti Cyprianus ait: Nõ eſt vna nobis & ſchiſmaticis ſymboli lex, neque eadem in baptiſmo interrogatio. Nam cùm dicunt; Credis

Epiſt. 6. libri ad Magnum.

Digitized by Google

dis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, cùm non habeant Eccleſiam. Item Hieronymus: Cùm ſolenne ſit, ait, in lauacro poſt Trinitatis confeſſionem interrogare: Credis in ſanctam Eccleſiam? In quam Eccleſiam credidit Arrianus? In Arrianorum? ſed non habent. In noſtram? ſed extra hanc baptizatus non potuit in eam credere quam neſciuit. Vnde Auguſtinus audacter dicit, quod qui de ipſo capite Chriſto ſcripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, de Chriſti corpore quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.

Contra Luciferianos.

Lib. de vnitat. eccle. ca. 4. & lib. 2. contra Creſco. cap. 8.

SIC Mahumetanus credens in vnum Deum, eumque ſaluaturum homines modo ſibi placito, ſiue per Chriſtum, ſiue ſine mediatore, reue-

ra non credit in Chriſtum: etſi modus homines ſaluandi Deo placitus (quem modum ſecta Mahumetis credit in genere expreſſum) reuera ſit in Chriſto Ieſu poſitus.

CAPVT XXXVII. HABET hic ſcriptor aliquid admodum notandum, & ab omnibus principibus & reipub. gubernatoribus magnifaciendum.

EA, inquit, fol. 35. *demum vera, ſolida & Chriſtiana pax eſt, quæ cum Dei gloria & voluntatis eius obſecutione coniuncta, & ab omni corruptela cæleſtis doctrinæ & diuini cultus ſeiuncta eſt. Quare nequaquam hic quorundam hominum qui reipub. concilijs adhibentur, ſtudium probandum eſt: qui rerum ordine inuerſo humanis diuina, & terrenis cæleſtia cedere volunt: & religione tanquam Lesbia regula, ad præſentem qualemcunque reipub. ſtatum componendum & tuendum, vtendum cenſent: cùm rempub. & Eccleſiam*

Digitized by Google

cleſiam lapſam & deformatam, non ad religionis normam erigere & conſtituere, ſed religionem ad reipub. & Eccleſiæ qualemcunque ſtructuram ſarciendam & fulciendam inflectere & detorquere nituntur: eíque peruerſo & præpoſtero ſtudio pacis & tranquillitatis reipub. nomen prætexunt: eóque prætextu ſumpto, omnes ad vitiorum correctionem & legum diuinarum inſtaurationem, (ſine quibus vera, ſolida & firma inter Chriſtianos pax & concordia conſtare non poteſt) adhortantes, vt turbulẽtos, ſeditioſos & pacis publicæ perturbatores crudeliſſimè inſectantur. Hæc opinator.

QVAE veriſſima ſunt, & gentilium hominum qui ad pacem terrenam, religionem ordinabant, imitationem prohibent. Quod in perſonã Theodoſij maioris olim etiã pulchro carmine expreſſit Prudentius initio prioris libri contra Symmachum:

Vir

Vir ſolus cui cura fuit, ne publica morum
Plaga, cicatricem ſumma leuiter cute clauſam
Duceret, & latebram tabentis vulneris altè
Impreſſam, penitusque putri de pure pereſam,
Iuncta ſuperficies medico fallente foueret.
Sed ſtuduit quo pars hominis generoſior intus
Viueret, atque animam letali peſte piatam
Noſſet ab interno tutam ſeruare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre
Qui ſtatus ante oculos præſentibus, ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
Heu malè de populo meriti, malè patribus ipſis
Blanditi, quos præcipites in tartara mergi
Cum Ioue ſiuerũt, multa & cum plebe deorũ.
Aſt hic imperium protendit latius æuo
Poſteriore, ſuis cupiens ſancire ſalutem:
Nimirum pulchrè quidam doctiſsimus, eſſet
Publica res, inquit, tunc fortunata ſatis, ſi
Nota. *Vel reges ſaperent, vel regnarent ſapientes.*

Attamen doctrina hæc generalis eſt pulchra quidem & bona, ſed niſi aliud accedat, inanis eſt prorſus nulliusque fructus. Etſi enim ſciat princeps terrenam atque externam & temporariam pacem debere ſer-

uire

uire cæleſti, internæ atque æternæ paci, leges humanas diuinis, imaque ſummis; quid inde efficiet, ſi neſciat in quo ſita ſit interna pax, quæ non ſubſiſtit, niſi per veram religionem? Demonſtrandum igitur erat principibus vbi ſit vera religio quærenda, ſiue quæ ſit vera religio, nec in fluctuationem ac dubitationem, inter diuerſas atque ſibi aduerſas partes erant conijciendi; quarum partium doctores quum vtrique alteros tanquam pſeudoprophetas condemnent, aut valde magna anxietas manet principes, vtros tanquam ſuos doctores ſequantur; aut neceſſe habent ſequi paucos obſcuros & hactenus incognitos pacatores: Qui cum fateantur opus eſſe libero affectu, vt rectè iudicari poſſit, vtra pars diſſidentium, & quibus in rebus melius ſentiat, nec de hac re iu-

dicium ſuum, vtpote ignorantes, pronuncient, nihil aliud docent: quàm perpetuò fluctuare & dubitare, inter vtrumque extremum: aut deniq;ue neceſſe erit, quemlibet principem ſe tantùm magiſtro vti, & neglectis partibus diſſentientibus, & parte ignorante ſeu dubitante, quod ſibi bonum viſum fuerit de religione ſtatuere, ita vt tot habeamus fides & religiones, quot principes, & eadem ditio hodie vnam religionem, & cras alteram, prout mutatum fuerit iudicium principis; vt hodie docet experientia in diuerſorum principum ditionibus diuerſas eſſe religiones; imò in vna ditione nunc vnam recipi, nunc ea reiecta alteram introduci.

CAPVT XXXVIII.

Nos igitur proferamus, quò non ſolùm priuatos homines, ſed & publico munere fungentes, ab his gran-

grandibus malis, & miris conſcientiæ anxietatibus & anguſtijs, per Dei gratiam liberandos doceamus. Et hoc non ex noſtro ingenio aut ratione docebimus: Ad legem magis, ait Eſaias, & ad teſtimonium. Ex ſacris igitur Dei oraculis hoc eſt demonſtrandum. Eſai. 8.

Prouidit Deus populo veteris teſtamenti contra pſeudoprophetas, ſenſibile atque palpabile, vt ita dicam, remedium, iuſſitque tam priuatis quàm publicis hominibus, vt ſacerdotes Leuiticæ tribus audirent, & ab eis legem Domini diſcerent, in ambiguis quæſtionibus ortis, eorum iudicio fiderent. Si (inquit) difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, Deuter. 17.

Digitized by Google

ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis,& ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus,& docuerint te iuxta legem eius; ſequerisque ſententiam eorum. Nec declinabis ad dextram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit,nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cuntusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Et infrà: Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui,deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus

Digitized by Google

bus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq́ue illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos: neq; declinet in partem dextram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſrael. Quod ipſum Mala. 2.
Malachias poſtremus prophetarum: Pactum meũ, inquit, fuit cum Leui vitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Vnde & Ieremias

Digitized by Google

tempore quo populus in captiuitatem ductus eſt, & videbatur iam penitus interiturus, vel ſaltem religio penitus peritura, in perſona Domini
Ierem. 33. promittit & dicit: Hæc dicit Dominus, Non interibit de Dauid vir qui ſedeat ſuper thronum domus Iſrael. Et de ſacerdotibus & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſtomata & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam dicens, Hæc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo: & pactum meũ irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & ſacerdotes miniſtri mei. Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri

arena

Digitized by Google

arena maris: ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei,& Leuitas miniſtros meos. Et hiſtorica ſcriptura oſtendens fructum obſeruatæ legis: fecit, inquit, Ioas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Ioiada ſacerdos; 4.Reg.12.Et iterum: Poſtquam autē obijt Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda, & adorauerunt regem: qui delinitus obſequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum domini Dei patrum ſuorum, ſeruieruntque lucis & ſculptilibus,& facta eſt ira contra Iudam & Ieruſalem propter hoc peccatum: 2.Paralip.24.

CAPVT XXXIX.

ET hæc quidem concernunt populum veteris Teſtamenti. Sed an putamus, minus prouidiſſe dominum Chriſtum populo noui Teſtamenti, quem non per ſanguinem agni ex Aegypto per deſertum in ter-

Digitized by Google

ram Chanam eduxit, ſed per proprium ſanguinem ex diaboli ſeruitute in æternam ſalutem traducit? Abſit vt melius ſeruis quàm filijs prouiderit. Vnde igitur nos doctrinam veram petemus, ſiue reges, ſiue priuati? Vnde quæſo, niſi ab ea
1.Timoth.3 ſocietate vbi Chriſtus doctrinam tãquam in columna & firma ſede collocauit, & perpetuam manſuram fixit, hoc eſt, Eccleſia? ad quam omnes gentes pro Dei doctrina confluxuras dixerunt per ſpiritum Dei
Eſai.2. Mich.4. Eſaias & Micheas: quam Apoſtolus
1.Timoth.3. dixit eſſe columnam & firmamen-
Matth.16. tum veritatis, cui Chriſtus promiſit quod errores à diabolo nati, ſiue portæ inferi nunquam præualebunt, à
Eſa.54. qua, vt Eſaias ait, miſericordia Dei nõ recedet: cum qua manet Chriſtus
Matth.28. omnibus diebus vſque ad conſum-
Matth.18. mationem ſeculi: quam Chriſtus audire

Digitized by Google

dire præcepit, & audire nolentem tanquam ethnicum & publicanum à Chriſtianis haberi voluit.

AT dices: Vbi & apud quos eſt hæc Ecelcſia? De hoc enim diuerſæ partes diuerſa ſentiunt, & timidiores dubitant. Vbi quæſo eam quæras, niſi vbi eam Chriſtus ædificauit, hoc eſt, ſuper Petrum (quod vtique inconcinnè de vnica perſona dicitur, cum illa fuerit mortalis, Eccleſia autem ſit perpetua.) Igitur ſuper Petrum dicitur ædificata, ſicut pactum Dei cum Leui fuiſſe dicitur, quod in poſteris Leui magis quàm in perſona eius completum eſt: ſicuti & in ſucceſſoribus Petri hoc maximè completur. Vbi quæras Eccleſiam quæ ſit columna & firmamentum veritatis, niſi vbi Chriſtus indefectibilem fidem ſua prece impetrauit, & omnes fratres ipſius ſiue Chriſtianos confir-

CAPVT XL.

Matth. 16.

Mala. 2.

Luc. 22.

Digitized by Google

mari in fide, & omnes oues ſuas paſci (quod præcipuè fit recta doctrina) voluit, hoc eſt, in Apoſtolo Petro & eius poteſtate? Vbi quæras Eccleſiam niſi vnde Chriſti fama vbique diſſeminata eſt, niſi in ea ſocietate, ſine qua nec Chriſtus, nec eius Sacramenta, vel Euangelia vlli nota eſſent? Vbi quęras eccleſiam Chriſti, niſi illic vnde omnes olim hæretici habiti egreſſi ſunt, & quam in aliqua parte ęmulantur omnes pſeudochriſtiani, vt Chriſtiani haberi poſſint? Scimus enim illud eſſe principale atque primarium, quod ſophiſtica omnia imitari conantur. Illud aurum eſt verum, ille nummus genuinus, quem impoſtores vt decipiant, imitantur. Quam quæſo iudices eſſe Chriſti eccleſiam, niſi eam quæ formam ædificij à Chriſto fabrefacti hucuſque retinet? hoc eſt, quæ ſic

n. 21.

vni homini, cui plurimi paſtores atque doctores iuncti ſint ad cuſtodiendum nos à vana doctrina, ſubiecta eſt, ſicuti Chriſtus ad patrem receſſurus & in cælum aſcenſurus Eccleſiam ſui temporis ſubiecit vni homini, cui adiunxit multos paſtores atque doctores, in ædificationem corporis ſui, ne circumferremur omni vento doctrinæ in aſtutia hominum. Qui ipſi dati ſunt Eccleſiæ vſque ad finem ſeculi, ſiue, vt Apoſtolus loquitur, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei. Hæc enim forma in nullis hęreſibus inuenitur, qui propter inanis gloriæ appetitum & ſuperbiam proprij ſenſus, noluit omnes vni ſubijci; aut ſi vni ſubijci ſe vna hæreſis patiatur, ſtatim hæc vnitas corruit, nec vno ſeculo durare poteſt. Quam denique iudices Chriſti Ephe. 4.

ſti

Digitized by Google

ſti eccleſiam, niſi eam quę ex eo tempore quo Chriſtus eam plantauit, ſe ſaporem eundem doctrinæ, ſine interruptione vlla retinuiſſe, per varios variorum temporum ſcriptores lucidè monſtrat, quęq́ue omnes ſcripturas de eccleſia loquentes ſibi optimè quadrare declarat, & ſe ſemper inter omnes hæreſes & perſecutiones, in fide & pietate à Chriſto vſq; in diem hodiernum protectam, ſicq́ue ſe eandem cum ea quæ in Ieruſalem die Pentecoſtes poſt Chriſti aſcéſum nata eſt, eſſe demōſtrat. Hanc igitur Eccleſiam eiusq́ue paſtores & doctores primo paſtori adhęrētes, hoc eſt, Romanam Eccleſiam, quæ ab Apoſtolo Petro Apoſtolica vocatur, vereq́; ſancta eſt & Catholica, audiant nobiles & priuati: & Chriſto donante, non ſolum de doctrina ſecuri erunt, ſed & vitam conſequentur æternam.

FINIS.

Digitized by Google

14.

Hic liber, *De officio pij, & Chriſtianæ pacis verè amantis viri*, dignus eſt, qui hoc potiſſimum tempore tam varij in religione diſſidij, typis excuſus vniuerſis perlegendus proponatur.

Quod atteſtor ego

Frater Joannes Hentenius,
ſacræ theologiæ Louanij
profeſſor.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGIORVM.

PHILIPPVS D. G. REX CATHOLICVS priuata lege ſanxit, ne quis hunc librum cui titulus: *De officio pij, & Christianæ pacis verè amantis viri, exurgente, aut vigente hæreſi*: in omnibus ſuis ditionibus imprimere, vel alibi impreſſum diſtrahere, citra Chriſtophori Plantini conſenſum, ante ſexennium proximum audeat. Qui ſecus faxit, pœna; præter confiſcationem librorum; in litteris pleniorib. à ſua Maieſtate eidem Plantino datis & conceſſis, expreſſa multabitur. Datum Bruxellæ in Priuato Concilio XVI. Nouemb. M.D.LXVI.

Signat.

Meſdach.

Et in Conſilio Brabantiæ XX. eiuſdem menſis Nouembris.

De VVitte.

Z 721 — 3

99 951568

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google